DE ULYSSIS ITHACA

DE

ULYSSIS ITHACA

QUÆ SIT HOMERO
LOCOS DESCRIBENTI, FIDES ADHIBENDA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

E. GANDAR

Ἦλθον γὰρ καὶ κεῖσε.
Hom., *Odyss.*, VI, 164.

PARISIIS
TYPIS CAROLI LAHURE
via dicta de Vaugirard, 9

M DCCC LIV

F. Valadier

Olim mecum scholæ normalis alumni

Dilectissimæ Memoriæ

INDEX.

PROOEMIUM.

CAPUT I.

GELLII DE INSULÆ SITU OPINIO ADVERSUS VOELKERIUM DEFENDITUR.

CAPUT II.

GELLII DE URBIS ULYSSEÆ SITU REFELLITUR CONJECTURA.

PROOEMIUM.

1. De Ulyssis Ithaca parum consentaneas opiniones ad hanc diem viatores doctissimique Homericæ poeseos interpretes professi sunt[1].

Vel qui de insulæ situ neutiquam dissentiunt, Ithacensium tamen urbi Penelopesque ædibus non eumdem in insula locum assignant, nec portus aut ipsos montes eodem appellant nomine[2].

Alii vero de ipsius insulæ nomine aut situ adeo altercantur ut in ejus locum Spon Dulichium suffecerit[3], Vœlkerius vero, acutissimi quidem ingenii et idem eximiæ vir doctrinæ, sicut illas insulas quas mediis in fluctibus sine fine errare fabula narraverat, illam quoque ab oriente ad occasum, citra Cephalleniam et in altum transferre non dubitet[4].

Quam ego libentius litem pendere sivissem nisi, quemad-

1. Cf. in primis, Gell, *Geography and antiquities of Ithaca*, Lond. 1807. — Leake, *Northern Greece*, t. III, p. 25-50. — Constantin Koliades (Lechevalier), *Ulysse-Homère*, Paris, de Bure, 1829, p. 57-68. — Schreiber, *Ithaca*, Leipzig, 1829. — R. v. L. (Rühle von Lilienstern), *Ueber das Homerische Ithaka*, Berlin, 1832. — De ceteris, cf. Forbiger, in Pauly's *Encyclop.* s. v. Ithaca; libris vero ibi enumeratis addendus est etiam libellus de *Ithaca*, Corcyræ nuper ab Anglico professore Bowen editus.

2. Nec operæ pretium est opiniones hic pæne innumeras memorare. De urbis situ Gellio in primis Lechevalier, Schreiber, Lilienstern, Klausen (*Zeitschrift für Alterth.-wiss.* 1835), Mure (*A Tour in Greece and the Ionian Islands*, 1838, t. I, c. IV), Leakio vero Wordsworth (*Grèce pittoresque*, trad. Regnault, Paris, Curmer, 1841), et Bowen assentiunt.

3. *Voyage d'Italie*, etc. Lyon, 1678, I, p. 132.

4. *Ueber Homerische Geographie und Weltkunde*. Hannover, 1830, 8°, c. III, IV, p. 46-74.

modum Gellius, ita ipse Homerus locos sibi parum notos male descripsisse insimulatus esset; unde ad illud adduceremur ut falsum de Homeri ingenio et arte judicium ferremus. Cujus certe testimonia de Græciæ antiquioris geographia ne minimam quidem auctoritatem haberent, si, cum agnoscendi essent quos memoraverit loci, Gellio, Leakio et Vœlckerio, ne plures memorem, adeo dissentire licuisset.

At, priusquam ipsi, quos judicis partes nobismetipsis asserere non pudet, adversus Vœlkerium de insulæ, adversus Gellium de urbis situ decernamus, nonnulla de Homero generaliter præfari necessarium videtur, ut planius definiatur quæ sit ei proprie in describendis locis fides adhibenda.

2. Apud neminem unquam minus a pictura poesin abfuisse satis constat : naturam vero non modo melius ceteris, imo aliter pingit.

Geographi enim regiones quas describunt, quales sint accurate exprimere laborant, ita ut, quo sub cœlo sita quæque sit, quantum ab aliis distet, quæ sit vera ejus figura, melius nobis quam oculi nostri vel Strabo monstret; quem tamen multum errare necesse fuit.

Poetis contra sæpius placet naturam in carminibus describere qualem eam sibi figuraverint animo, quam qualis luminibus subjecta est. Cur enim magis locos ubi fabula agatur quam ipsam fabulam et heroas fingere vetarentur? Aut cur a munere suo discessisse argueretur, si quis veras minus fortasse, sed veris gratiores nobis obtulerit imagines? Nec venia carebit Virgilius ob translatum in Libyæ littora Ithacensem Phorcynis portum[1].

Homerus vero locos raro admodum fingit; raro quoque eos, quales se habeant, descripsit. Neque igitur pro fictis, neque pro veris accipienda sunt quæ nobis tradit; pariterque mihi videntur erravisse, et qui poetæ omnino credunt, et qui

1. Hom., *Od.*, IX, 16 sqq.; Virg., *Æn.*, I, 159-169.

diffidunt omnino : non eam Homerus nobis Græciam quam ex circini rationibus novimus ostendere potuit, pictoribus magis quam geographis annumerandus; sed eam certe ostendit quam et ipse vidit, et nos quoque parum immutatam oculis vidimus. Quæ species diligenter expressa fuisse agnoscetur, nec nos fallet, si modo eam pro vera rerum specie, non pro ipsa veritate ducere contendimus.

3. Ubi a terra se tollere, cœlumque ipsum, imo arcanam mundi compositionem et structuram penitus inspicere conatur, nobis vel id recte et plane dignoscere quid senserit perarduum est : quam vero, cum de cosmographia agatur, auctoritatem obtinere posset, cum, posterioribus etiam sæculis, tantum a vero Strabo vel Ptolemæus erraverint?

Porro et in terrarum descriptione, nimia ejus testimonio fides adhibita est, pluresque rursus quam decuisset ejus erroribus lites illatæ sunt, qui erravit necessario quoties regiones descripsit aut a se minus notas, aut latiores quam quæ uno aspectu comprehendi possent.

Nec satis intelligo cur toties in jus vocetur cum de itinerum longitudine provinciarumve figura et finibus res sit : cur enim ab Homero discere volumus quod ipse novisse non potuit? Si ejus oculos falsis imaginibus luserunt littora, quæ nunquam ab alto qualia sunt prospiciuntur; si, cum iter longum narrandum esset, male meminit quoties a recta via et quorsum inflexum fuerit; si regiones reipsa indigestas, quippe quæ aut natura plurimas in valles, ant sorte plurima in regna divisæ essent, ipse obscure descripsit : num nos id mirari decet, qui quotidie, etsi tot nobiscum descriptiones itinerum tabulasque, diligentissime et peritissime delineatas, vectare assidue potuerimus, ancipites tamen steterimus in compitis, navigantesque sæpius vel nota littora falso nomine salutaverimus?

Homerica vero ætate, quid aliud novisse, quid describere accurate viatores potuissent, nisi portus et insulas, Cretam

videlicet et Ithacam, interioribus vero in terris aliquot urbes, aut littoribus propiores, aut opibus, commercio vel armis præstantissimas? Quid ergo ex Homero requirimus ut nobis aperte indicet quomodo Thessaliam sex reges inter se diviserint, aut qua ex Pylo Spartam currus ire potuerit[1]?

4. Longius tendit Spohnius[2], qui locos ab Homero descriptos nunquam satis bene recognosci posse arbitratur, nisi viatores alia Homericisque descriptionibus certiora testimonia præ se ferant. Cum de agro Trojano toties et sine fine disputari moleste ferret, non dubitavit asserere omnes eas disputationes vanas et ineptas semper fore, quoniam de Priami urbe et regione parum lucida, parum inter se consentanea essent quæcumque in ipsa Iliade inveniuntur. Quod ut comprobaret, omnes versus diligentissime produxit qui aut obscuriores, aut sibi invicem repugnantes viderentur; cunctisque his argumentis confirmavit non modo a viatoribus temere, sed ab Homero non sufficienter descriptos esse campos ubi Troja fuit.

Nimia vero eum intolerantia peccavisse quis dubitat? Etiamsi enim plura Homerus omisisset, aut de parvis rebus plura inter se discrepantia longo operi obrepsissent (sive quia poeta, ut ait Horatius, dormitavit, sive quia ejus verba, male recitata, male a grammaticis restituta, ad nos non incorrupta pervenerunt), plurima suntin hac Trojani agri descriptione quæ si quis agnoscere recusaverit, oculos consulto clausisse merito existimabitur.

Spohnii reprehensiones et acrimoniam meruere quicumque, ardore immoderato elati, omnia se reperisse gloriantur, nec timent, nomine Homerico omnibus tumulis, imo ipsis cespitibus adscripto, Hectoris cineres in arce Trojana non secus atque Achillis tumulum in castris Achivorum venerari,

1. Cf. Excursum A.
2. *De agro Trojano in carminibus Homericis descripto*, Lipsiæ, 1814, 8°.

Phrygiarumque turmarum aut Græcarum navium unicuique suum in campo et in littoribus locum assignare.

Spohnius vero non minus errat cum, ubi viatores omnia temere agnoscunt, ibi ex cathedra sua nihil esse affirmat quod imagine vera sibique constanti Homerus adumbraverit. Equidem nec Myrinæ Æsyetæque tumulos, nec clivum amœnum (Καλλικολώνην), nec inprimis speculam (σκοπιήν), caprificum (ἐρινεόν), Priami hortum, fagumque Jovi sacram, etsi alta et pulchra fuerit, me quæsiisse profiteor. Qui omnes loci ab Homero bis terve memorantur, non ita designantur tamen ut eos nobis figura singularis demonstret, aut computari liceat quot passibus inter se, vel ab urbe, vel a mari distent[1]. Quibuscumque vero laqueis nos involvere Spohnius contenderit, regionis hodiernam conditionem ne novisse quidem opus est ut, tantum ex Homeri versibus, quos et ille, melius ceteris, collegit, Ilii situm, Scamandri fontes, amnis per agros cursum, Ili et Achillis tumulos, Græcorum denique stationem et castra animo figuremus, imo hæc omnia quasi præsentia oculisque subjecta habere in conspectu arbitremur[2]. Neque digni erant qui a Wolfii discipulis ita deriderentur, si qui, Woodii[3] exemplum secuti, longa et molesta itinera susceperunt ut hanc regionem ab Homero celebratam suis oculis viderent, præsentemque ejus conditionem cum poetæ descriptionibus conciliare tentaverunt.

5. Cum vero, non modo de tumulo et clivo unoquoque, sed etiam de fluviis, de fontibus, de ipsa urbe opiniones defenderint omnino inter se discrepantes, jam ea diversitate ipsi fere nobis auctores sunt, ut vel Homericæ descriptionis veritatem (cui tamen omnes singularem fidem adhibere se ultro profitentur) in dubium, sicuti Spohnio et Bryanti[4] placet, revocemus.

1. Cf. Spohn, l. l. p. 18-20. — 2. Cf. Exc. B. — 3. Wood, *Essai sur le génie original d'Homère*, trad. franç.

4. Qui nunquam a Græcis Trojam captam fuisse affirmavit (Lond. 1799.

Cum enim, ut poetæ ipsi perhibent, etiam ruinæ perierint[1], nec aliud propemodum Trojæ vestigium supersit nisi campus ubi fuit; in hoc vero campo, scilicet inter Idæ radices et Achillis tumulum (de quibus disputari parum licet) inveniantur et tumuli, et fontes, et colles plurimi, cursumque jam non eumdem in planitie Simois Scamanderque tenere videantur, ambigua nimis hac in lite quæ sententia satis certa ferri potest ?

Sunt varia argumentorum genera, unde diversa inferuntur : seu quis, recentiorum incolarum superbiæ et mendaciis Hellanicique dictis nimis indulgens, intervalla tamen sedulo computans quæ res in Iliade gestas verisimiliores efficiunt, Homericam Trojam ibi etiam se reperisse arbitratur ubi ejus ruinas venerati sunt, ne ceteros percenseam, Xerxes, qui Priami vindicem, Alexander, qui Achillis imitatorem, Cæsar, qui Æneæ nepotem se prædicabant[2]; sive, ut Strabo[3], Demetrii Scepsii auctoritati ne resisti quidem posse existimat; sive et popularibus fabulis, et Hellanici Demetriique testimoniis, et tacticorum doctis rationibus aliquas Homericas imagines præferre, ut noster Choiseul[4] aut etiam Webbius[5], non timet, adeo ut desertis collibus, magis a mari et Græcorum statione distantibus, Ilii nomen reddere audeat.

Ego vero iis maxime diffido qui de his nimis docte, nimis adstricte et anguste, ut ita dicam, disputaverunt; nec me multum movent aut fabulæ ipsis in locis, sed serius collectæ, quarumque originem et Hellanicus et Strabo iniissent facillime, si locos ipsi invisissent; aut præsertim Spohnii et Mac-

Cf. Choiseul, 2e éd., t. II, p. 338-342). Et jam noster Pascal (*Pensées*, éd. Havet, art. xiv, 3), cum multis dixerat : « Homère fait un roman qu'il donne pour tel, car personne ne doutait que *Troie* et Agamemnon n'avaient non plus été que la pomme d'or ». — 1. Luc. *Phars*, IX, 969. — 2. Strab., l. XIII, p. 593-4. — 3. *Ibid.*, p. 593 597.

4. Lechevalier, *Voyage de la Troade*, Paris, 1802. — Choiseul, *Voyage pittoresque dans l'empire ottoman*, 1820 (2e éd., Paris, 1842, t. II et III.) — 5. *Topographie de la Troade*, trad. fr., Paris, 1844, 8°.

Larenii argutiæ, qui arcis in urbe, aut ipsius urbis in agro Trojano situm commutandum esse censent, quia ex turri Scæaque porta usque ad Andromaches domum personare Hecubæ ejulationes[1], aut Jupiter ex Ida quæ agantur prospicere[2], aut Helena Achivum duces e mœnibus agnoscere aliter non potuissent[3] : quasi veris simillima esse debeant quæ ab Homericis heroibus, imo a diis, ficto in poemate, aguntur! Res contra quæ geruntur Homerus fingit, locos vero pingit ubi geruntur, quoties eos novisse audiendo aut vidisse potuit; neque ego de Trojano agro, quæcumque sint vel historica illa testimonia quæ præ se geographi ferunt, quidquam aliud admiserim quod sit certæ fidei et ad historiam vere pertineat, nisi quæ ab Homero vivide expressæ imagines oculis etiam viatorum obversantur, et eos, quasi manu prehensos, iter suum docent.

Quidquid igitur puerile et commentitium exposuerit Choiseul, qui nunc trans Rhenum nimis contemnitur[4], interpres tamen Homeri vere Homericus, ut ita dicam, fuit, qui cum, hoc in campo qui ab Idæ radicibus ad Sigæi littora patet, Ili tumulum, Scamandri fontes, ejusdem et Simoentis cursum, ipsum denique Ilium diligenter indagaret, oculorum potius quam librorum testimonio credidit; constatque nusquam in Hellesponti littoribus tumulum, rivos, fontes, collem denique occurrere qui melius hisce a nostro auctore descriptis Iliacæ regioni respondeant, qualis ex Homeri versibus adumbrari potest.

6. Si nunc ad ipsam Græciam redeamus, id quoque brevi perspiciemus omnia in Homerica geographia dubia, obscura, parum sibi consentanea, sæpius etiam omnino falsa, ut oportuit, esse; sed imagines, quibus locos pingit, ita veras et lucidas esse ut illi nonnunquam ex fusiori Pausaniæ

1. Spohn, l. l., p. 28. — 2. Forbiger, s. v. *Troas*.—3. Mac-Laren, Fragm. Webbii libro adjuncta, Paris, 1844, p. 160. — 4. Vide Forbiger, s. v. *Troas*, *Encyclop.* jam laud.

exegesi minus facile agnosci possint quam ex uno Homeri verbo, quo illud breviter et præcise notatur quod suam cuique urbi aut regioni peculiarem figuram facit. Cum autem, exstinctis populis deletisque etiam urbium ruinis, stet, sibimetipsi constantior, naturalis locorum facies, illud etiam quod poetam movit nos pariter movet, et eodem modo. Ita, cava[1] et amœna[2] Lacedæmon, petrosa[3] Aulis, ventosum Ilium, bene structæ et munitæ Athenæ[4], Mycenæ[5] et Tyrins[6], quarum exstant mœnia pervetusta, etiam rite appellarentur; albet Oloossonis[7] solum; vorticosos[8] Xanthus, argenteos[9] Peneus fluctus volvit; Epidaurus vitem colit[10]; Argis[11] et in Thessalia[12] equi aluntur; nec Thisbe columbis grata[13] esse desiit.

7. De Trojano agro et Græcia, de ipsius Homeri ingenio jam satis, quanquam summatim et generaliter, dixi, ut liqueat quibus indiciis et argumentis potissime inniti mihi proposuerim, et quo modo adversus Vœlkerii Gelliique commentarios ipsius poetæ verbis causam adjudicaturus sim. Nec est aut paradoxum aut hypothesis quam non facile et necessario refellant Homericæ imagines.

Neque hic quæram an Ithacam Homerus suis ipse oculis viderit, ubi eum appulisse et commoratum esse, imo natum fuisse aliquando veterum perhibent fabulæ[14]. Satis erit si illud adnotaverimus Ithacam nobis ex Homero melius Ilio

1. *Il.*, II, 581; *Od.*, IV, 1. — 2. *Il.*, III, 239, 443. — 3. *Il.*, II, 496: Πετρήεσσα. — 4. *Il.*, II, 546. — 5. *Ibid.*, 569.

6. Peculiari verbo τειχιόεσσα dicuntur Tiryns et Gortys, *Il.* II, 559, 646.

7. Λευκή, *Il.*, II. 739. Quod a viatoribus passim confirmatur.

8. *Il.*, XX, 73. — 9. *Il.*, II, 753.

10 *Il.*, II, 561. — 11. Ἱππόβοτος de Argo, id est de Græcia, passim dicitur; sed equûm domitor Diomedes Argivus appellatur (*Od.*, III, 181.).

12. Sæpius in Homero et Achillis equi, et Centauri (*Il.*, I, 268), et *equites* Peleus, Phœnix, Patroclus memorantur; quibus et Eumeli equas addas, (*Il.*, II, 763, XXIII, 288).

13. *Il.*, II, 502. Cf. Leakii narratiunculam.

14. Cf. Bern. Thiersch, *Ueber Homers Vaterland*. 1832.

notam esse : cum enim in exiguis scenis simplicior fabula agatur, poeta sibi in continuanda narratione magis constat, paucioribusque omissis, frequentiores et vividius expressas eorumdem locorum imagines effinxit; cum vero, in describenda parva regione, minori intervallo distet geographi et pictoris munus, rarius hic erravisse Homerum verisimile est quam cum Thessalicorum regum fines, aut Telemachi iter, aut etiam Trojanum agrum describerèt.

Ulyssis igitur Ithacam ex Odyssea adumbratam hodiernæ Ithacæ non semel et diligentissime contuli, ut antiquioris Græciæ geographiam et ipse pro meis viribus illustrarem, vel potius ut inde planius scirem quam accurate vero semper accesserit Homerica poesis, non secus cum locos et naturam ad vivum pingit, quam cum mores hominum imitatur.

CAPUT PRIMUM.

GELLII DE INSULÆ SITU OPINIO ADVERSUS VŒLKERIUM DEFENDITUR.

1. Quod ad Ithacam attinet, minorem solito auctoritatem Vœlkerius testimonio suo dedisse videtur, qui insulæ nostræ situm mutare quodammodo coactus fuit : quæ si enim vera sua de sede non cessisset, infirmaretur omnino subtilis illa de mundo Homerico doctrina cujus se auctorem Vœlkerius profitetur. Dubia vero doctrina hic mihi prave videtur uti.

Unum sub judice est verbum quod, Vossio teste, septentriones, occasum vero, teste Vœlkerio, indicat[1] : unde obscurior etiam fit locus ille perdifficilis in quo Ulysses Alcinoum docet ubi sua Ithaca in mari et sub cœlo sita sit. Aliorum jam multis interpretationibus meam quoque addam necesse est, qui mihi proposui insulam a Gellio repertam recognoscere, potiusque probare eam ab Homero ita descriptam fuisse ut reperiri potuerit, nec debeat mythicis terris annumerari.

Si vulgarem interpretationem sequimur, respondet Ulysses Alcinoo[2] se « incolere insulam *late conspicuam*, in qua mons surgit nemorosus, *arduus;* circum autem insulæ

1. Vœlker, c. II.
2. *Od.*, IX, 21-26 :

Ναιετάω δ' Ἰθάκην εὐδείελον · ἐν δ' ὄρος αὐτῇ,
Νήριτον εἰνοσίφυλλον, ἀριπρεπές · ἀμφὶ δὲ νῆσοι
Πολλαὶ ναιετάουσι μάλα σχεδὸν ἀλλήλῃσιν,
Δουλίχιόν τε Σάμη τε καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος ·
Αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ πανυπερτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται
Πρὸς ζόφον — αἱ δέ τ' ἄνευθε πρὸς Ἠῶ τ' Ἠέλιόν τε.

multæ habitantur, *aliæ aliis proximæ*, Dulichium videlicet, Sameque et nemorosa Zacynthus; *ipsa* autem, *humilis* (sive, ut quibusdam placuit[1], terris propior), *longe suprema* in mari jacet, *ad occasum* (sive ad septentriones); illæ vero *seorsum* versus auroram solemque. »

Quantum inter se verba illa dissentiant aut a vero absint satis patet, cum ipsa Ithaca *humilis* sit et *late conspicua*, Cephallenia vero sita sit ad meridiem aut ad auroram, remotior ab Ithaca, Dulichio contra et Zacyntho proxima. Quæ cum ita sint, si ζόφος, ut Vossio placuit, pro septentrionibus intelligendus est, fortunæ gratias agamus quæ, versus Leucaten et Aquilonem, Cephalleniam Ithaca paulo inferiorem esse decrevit; at si, Vossio errante, rectius Vœlkerii interpretatio[2] septentriones occasu commutavit, tum parum proficeret perangustum hunc distendere sinum qui utramque insulam dividit : ipsas etiam inter se commutare sedem insulas, Ithacamque errare Vœlkerius jubet; cui non montes, non maria obstant, quin, invitos licet, ad suam opinionem Homerum ipsamque Græciam adducat.

2. Hunc vero Odysseæ locum qui, ob falsas aut contortas interpretationes ne intelligi quidem potest, sine dubio tamen intelligi posse constat, quippe qui veteribus grammaticis nec interpolatus, nec delendus restituendusve visus est. Quem ut ipse interpretatione nova explanare possim, nihil aliud mihi necessarium videtur nisi ut aliqua verba[3], propemodum expletiva, liberius vertam, præsertim vero ut, si quod mathematicum vocabulum a Vossio aut Vœlkerio admissum est, illud omnino respuam : jam enim scimus Homerum nobis non theoremata cosmographica, sed poeticas imagines obtulisse.

1. Cf. Vœlker, p. 47.

2. Quæ pluribus jam ante placuerat : cf. Theil, *Diction. d'Homère*, s. v. ζόφος, aut potius Vœlker, p. 43.

3. Πολλαί. μάλα. πᾶν in verbo πανυπερτάτη. ἄνευθε : quæ, ut cetera ejusmodi verba, rarius in Homericis poematibus, haud secus atque in sermonibus puerorum, eamdem vim habent quam in posterioris ætatis libris.

Hæc igitur erunt, aut ego fallor, vera Ulyssis verba :

« Ithacam habito, *late conspicuam*, in qua mons est, Neritum frondosum, arduum. Quam circum habitantur insulæ plurimæ, ab aliis aliæ parum distantes, Dulichium scilicet, Sameque et Zacynthus nemorosa. Ipsa, *in mari firma*, ceteris remotior est *versus tenebras*, dum aliæ vertuntur *ad auroram et solem*. »

Jam nulla sunt verba quæ inter se repugnent, nec amplius ambigitur quæ sit Ithaca, aut ubi jaceat in mari. Nulla alia insula rectius dici potest *late conspicua*[1] : sive enim Corinthiacum sinum liqueris, sive Elidos littora legas, tum ex alto prospicies excelsum et a ceteris sejunctum montem, unum videlicet, quia in unum coeunt duo cacumina quæ reipsa isthmo et *portu longo* sejuncta sunt. Pergas vero : cum jam Cephallenicum regnum transieris, et in conspectu apparent Epiri ipsiusque Scheriæ littora, si Leucaten et *nimbosa cacumina* respexeris, longe se oculis etiam præbet mons, ex vertice propemodum rotundo, cujus undique sibi figura satis constat, facillime agnoscendus, Neritum scilicet arduum, *conspicuum*.

Aliæ insulæ, ab oriente ad meridiem et occasum, in orbem[2] circum Ithacam glomerantur; quæ ceteris, Cephalle-

1. Neque aliter εὐδείελος verti potest, ut etiam ex ceteris *Od.* locis liquet, præsertim ex his Ulyssis verbis (XIII, 234) :

> Ἦ πού τις νήσων εὐδείελος, ἠέ τις ἀκτὴ
> Κεῖθ' ἁλὶ κεκλιμένη ἐριβώλακος ἠπείροιο ;

ubi *bene ad occasum versa*, ut Strabo (l. X) et alii, pariterque *aprica*, *sonnig*, ut Vossius, interpretati sunt, sensu omnino carent : Ulysses enim de insula quacumque loquitur; unde apparet εὐδείελον nihil aliud esse, cum de insula agatur, quam expletivum sive *Homericum* epithetum, veluti εὐκτίμενος omnis urbs aut domus, vel ignota, appellari potest (*Od.*, VI, 315; IX, 533, et alias). Ithaca vero, præ ceteris insulis, a continenti valde sejuncta, ideoque in mari valde conspicua non semel dicitur (*Od.*, II, 167; XIII, 212).

2. Proprie ἀμφί. Nec, in versu insequenti, pro πολλαὶ *aliquas*, *nonnullas* vertere dubitarem; sed et plurimæ dici possunt Cephallensium insulæ : Dulichium, Same, Zacynthusque solæ dignæ erant quæ nominatim designarentur; minores vero multæ insulæ sive Dulichio et continenti (*Il.*, II, 625),

niæ præsertim vicina[1], in medio tamen emicat aperte; ob formam simpliciorem[2], in se oculos convertit; ideoque eam, quanquam parvulam, etiamsi sua historia ceteris clariorem non effecisset, pro Ionici maris umbilico habere nautæ potuerunt, sicuti Delos, etiam humilior, totque magnis florentissimisque insulis circumdata, Ægæi tamen maris umbilicus habita est.

At in hoc a Delo Ithaca discrepat quod Delos e longinquo nihil nisi punctum videtur esse, inter maris fluctus et cœli nubila quasi suspensum. Ithaca vero firmis radicibus solo hæret, a terra continenti, velut Æa, omnino sejuncta, sed mediis in fluctibus immobilis[3], dum alias insulas[4] ipsamque Delum erravisse in mari perhibebant. Ita ἀριπρεπής, εὐδείελος simul et χθαμαλή dici eadem insula facillime potest; sin aliter, nihil Homerus dixisse potest, quod non perobscurum, imo absurdum sit.

3. Superest nunc ut sub oriente, sub occidente sole, sub caliginosa cœli regione insulas illas reponamus; nec plane ubi sitæ sint, sed ubi sitæ videantur : quippe nihil aliud Homerus novisse potuit quam quod vidit, aut potius etiam (ut

sive ipsi Ithacæ adjacent, e quibus ab ipso Homero Ægilips, Crocylea (*Il.*, II, 632), Asteris (*Od.*, IV, 846 sqq.) memorantur.

1. Ἄνευθε, non idem plane est quam procul, aut, ut illud ipsum Latinorum *procul*, non adeo definitum. Ceterum vel ex *Od.* constat Ithacam Cephalleniæ proximam esse (IV, 671, Ἐν πορθμῷ Ἰθάκης τε Σάμοιό τε). Nec inter se loci repugnant : Αἱ δέ τ' ἄνευθε, *illæ seorsum*, aut, simplicius etiam, *illæ vero*.

2. Magis quam ob montium altitudinem : altius enim vel Nerito exsurgit meridiana pars Cephalleniæ.

3. *Od.*, X, 195-6.

> Νῆσον, τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται·
> αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ κεῖται.

Quam antithesin, χθαμαλὴ εἰν ἁλί, libentius verterem . *firma in mari circumfluo*, aut etiam *terra in mari*, *insula*, quam : *humilis in mari*. Ea enim interpretatio non modo cum hujus loci sensu male congruit (quomodo enim *humilis* Ithaca esse potest, si Neritum excelsum, ἀριπρεπές, si ipsa εὐδείελος est?), sed sensu omnino carere videtur.

4. *Od.*, XII, 61, XXIII, 327.

pastor ille Virgilianus[1]) quam quod oculorum ludibrium, per nubila aliquando, vidisse sibi videbatur.

Quemcumque vero posterioris ætatis nautæ, geographi, vel ipsi poetæ, iis sensum adhibuerint vocabulis, quibus designantur diversæ cœli regiones, constat ante omnia Homerum in cœlo non quatuor partes peculiaribus distinxisse nominibus : a die nox tantum discernitur; hinc regnant tenebræ, inde lux[2]. Illud vero præsertim notandum est, tenebrarum regionem simplicem esse, uno semper et eodem nomine designatam, dum alterius contra regionis, luci addictæ, nomen variat : nempe tenebris (ζόφῳ), nunc aurora, (ἠῶς[3]), nunc aurora et sol (ἠῶς τε ἠέλιός τε[4]) opponuntur. Dubitantque interpretes utrum ἠῶς τε ἠέλιός τε orientem modo designent pariter ac si ἠῶς modo diceretur; aut orientem simul et meridiem, id est dimidiam cœli partem; aut etiam regionem illam quæ inter orientem et meridiem continetur, et unde serius Euronotus spirare dictus est.

Eam vero ad perpendiculum exactam orbis descriptionem ne præsensit quidem Homerus. Normam iterum et circinum omittamus; ratione adstrictius uti minime opus est : oculos modo in cœlum, a mane usque ad occasum, dum crescit decrescitque dies, defixos teneamus; nosque horæ, quarum progressu sensim immutatur terrarum species et color, doceant quid sit vere pro se ille ζόφος, qui pro septentrionibus et pro occasu habitus est; quamve ob causam, immutabili et individuæ illi nocti, cui dimidiam cœli partem obtigisse jam parum verisimile est, spatium Homerus opponat latius, sed minus certum, integrum vicissim et divisum, quod nunc ab aurora, nunc a sole, nunc ab utroque suum nomen accepit.

1. *Æn.*, VI, 453.

2. Quod optime explicavit Vœlker, p. 40 sqq. Quid vero lucis regionem eamdem esse quam auroram voluit, cum et auroram et meridiem insuper contineat? Cui nos etiam et occasum ex parte adscribimus.

3. *Od.*, X, 190. — 4. *Il.*, XII, 239; *Od.*, XIII, 240.

Hoc unum in certamen adduci nullo modo potuit quam cœli partem ἠώς indicaret : sine ulla ratione aut doctrina, hanc potissimum oculi novere regionem ubi aurora illucescit[1] solque oriri videtur[2], punctum certissimum facillimumque notu, etsi cum mensibus loco moveri solet. Sol exortus sensim surgit ad cœli verticem[3], sensim inde ad occasum vergit[4] : nec tamen cœlum ac terras æque radiis illustrare desinit ; ignibus contra clarioribus effulget, naturamque omnem, prius quam oculis nostris se subducat, purpureis coloribus vestit, ideoque eum nec occumbere, nec exstingui vulgari suo sermone etiam hodie Græci dicunt, sed *regnare*[5] : quod verbum linguæ Homericæ apte convenit. Sibi vero minus constitisset poeta si tenebras uno et eodem semper verbo, ζόφον ἠερόεντα, eam præ omnibus cœli partem vocavisset ubi purpura quasi et auro nitentem regnare solem vidit.

Ubi sol vergit[6], ibi vesperam[7], ibi jam noctem ingruere, inde spirare Zephyrum[8] qui, cum ab occasu spiret, a ζόφῳ nomen duxisse potest, posteriores geographi docebunt. Eos vero usque ad fines lucis regionem, solis regnum patere Ho-

1. Φαίνεται (*Il.*, XXIV, 417, 785 ; *Od.*, III, 491), ἐπέρχεται (*Od.*, XXII, 198), φέρει φόως βροτοῖσιν (*Il.*, XIX, 2, cf. φαεσίμβροτος, XXIV, 785), ὑπεὶρ ἅλα (*Il.*, XXIII, 227), sive πᾶσαν ἐπ' αἶαν (*Il.*, VIII, 1) κίδναται. Ceterum δῖα, φαεινή, ἐΰπλόκαμος, κροκόπεπλος, ῥοδοδάκτυλος, χρυσόθρονος.

2. Ἀνίεται (pass.), ἀνορούει (*Od.*, III, 1), ἀννεῖται (*Od.*, X, 192). Cf. præsertim (*Od.*, X, 190-2) : ὅπη ἠώς, id est (nec aliter is locus intelligi potest), ὅπη ἠέλιος ἀννεῖται. — Inde illa regio, quam aurora obtinet, soli quoque peculiariter adscribitur, ita ut auroræ, solis orientis, vel auroræ et solis aliquando dici potuerit (præs. *H. Ap.*, 436, ἔπλεον πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε), licet alibi ἠώς τ' ἠέλιός τε latiorem quoque regionem, ut infra dicemus, designet.

3. Μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει (*Il.*, VIII, 68 ; XVI, 777 ; *Od.*, IV, 400).

4. Μετανίσσεται βουλυτόνδε (*Il.*, XVI, 779), melius ἄψ ἐπὶ γαῖαν προτρέπεται (*Od.*, XI, 18). — 5. Βασιλεύειν. — 6. Δυσόμενος (*Od.*, I, 24). — 7. Τοῖσι μέλας ἕσπερος ἦλθεν (*Od.*, I, 423). Inde Hesperia (*Od.*, VIII, 29) :

Ἠὲ πρὸς ἠοίων ἢ ἑσπερίων ἀνθρώπων.

8. Qui, apud Homerum, et a septentrionibus nonnunquam spirat (*Il.*, IX, 5 ; *Od.*, XIX, 206), δυσαής (*Il.*, XXIII, 200 ; *Od.*, IV, 567).

merus etiam existimat, quod ab aurora ad occasum majorem cœli occupat partem, πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε. Ibi tantummodo, ibi vere tenebræ incipiunt, ubi sol, cui non datur suum in cœlo sub oculis nostris orbem perficere, in tenebras[1], sub terram vadit, deperiitque[2]. Caliginem inde et noctem, κνέφας, νύκτα, ζόφον, rarius[3] ipsum occasum Homerus vocat quam eam huic adjacentem regionem cui dies non arridet[4], quam vix tingunt auroræ lux amabilis splendidioresque occasus colores. Ipso solis in itinere, intervalla discerni possunt : inde ea, incerta etiam, sed diversa auroræ, solis, sive auroræ solisque nomina ; altera vero regio uniusmodi est et sibi consimilis, tristior, invisa, quam dividere non minus quam definire difficile est. Hanc sola nox solabitur illa stellarum lunæque dubia et tremula luce quæ a nostro splendido sole ad hanc languidiorem et gelidam Ditis diem ducit ; eodemque verbo utramque hanc horrendam sedem, obductam caligine, solique inviam pristina poesis appellat, nempe septentriones[5], quos pavidi nautæ ne tentare quidem audent[6], Erebumque[7] ubi diem amissam lugent vel qui umbrarum tenent sceptra[8].

Ego quidem, tum de saxis, quibus superimpositam Ulyssis urbem fuisse Gellius arbitratur, tum de clivo, cujus in dejectu eam Leakius reperit, solis omnem aspexi cursum : qui, cum supra hos Acarnaniæ montes, ubi duodecim unius

1. (*Od.*, X, 190-1) : Ὅπη ζόφος, id est ὅπῃ Ἠέλιος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν. (*Ibid.*, III, 335) : φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον, (329) :

ἠέλιος δ' ἄρ' ἔδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε.

2. Οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε (*Od.*, XX, 357).

3. Obstant duo loci jam laud. (*Od.*, X, 190-2 ; *Il.*, XII, 239, 240), quin plane dicam occasum, id est communes lucis et tenebrarum fines solis regioni omnino assignatam ab Homero fuisse.

4. Τερψίβροτος (*Od.* XII, 274). — 5. *Od.* XIII, 241 et alias.

6. Ultra Scheriam, terrarum extremam, mare inaccessum, ignotum est.

7. (*Od.* XII, 81) : Πρὸς ζόφον, εἰς Ἔρεβος. (XX, 356) : Ἔρεβόσδε ὑπὸ ζόφον. (*H. Merc.* 257-8) : Ἐς Τάρταρον ἠερόεντα, ἐς ζόφον. Cf. etiam ὑπὸ γαῖαν (*Od.*, X, 191, *Il.* XIX, 259), Ζόφον εὐρώεντα et φάος (*H. Cer.*, pass.). — 8. *Od.*, XI, 88-491.

cujusque generis greges pascebant Ulyssis servi [1], exortus est, pone septentrionale Cephalleniæ promontorium, non procul a Leucade, occidit. Omne igitur Ulyssis regnum ex ordine, nempe continentem primo parvasque continenti adhærentes insulas [2], mox, ultra Neritum, Dulichii saxa viridantiaque Acheloi pascua [3]; inde etiam, ad extremam partem freti quod portum urbi præbebat, divinæ Elidis [4] littora; denique, ultra excelsum Sames montem, Zacynthi nemora perlustrat. Solam vero Ithacam in itinere quasi negligit, ceteris insulis remotiorem versus tenebras (πανυπερτάτη πρὸς ζόφον), jamque ingruentis noctis caligine prope involutam [5], dum, seu oriente Aurora, seu ascendente et regnante sole, (πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε) aliæ plane lumine perfusæ sunt. Ithacam vero ultra, Græcia jam non est quodcumque apparet, barbaræ autem jacent regiones, Taphos, prædonum nota sedes [6], ater continens [7], lucidis Græciæ terris oppositus, Thesprotia scilicet inhospita cui dat jura regum crudelissimus Echetes [8]; formidolosæque Erebi tenebræ quarum pro limine et via Leucas habebatur [9].

4. Ceterum ipse Vœlkerius, cum librum suum inchoaret, a *chorographia*, id est locorum descriptione, *cosmographiam*, id est mundi descriptionem et scientiam, accurate discreverat : cur non sensit apud Homerum dubiam et obscuram mundi, fideliorem verioremque locorum esse descriptionem, et, quotiescumque in eo cosmographia et chorographia inter se dissentiant, errare sine controversia cosmographiam ? Cui contra ipse cæcam dare fidem maluit.

Ergo, etiamsi temere omnino intervalla restituissem, et male soli, ἠελίῳ, auroram, meridiem occidentisque insuper

1. *Od.* XIV, 100 sqq. — 2 ἤπειρον ἠδ' ἀντιπέραια (*Il.* II, 635). — 3. Δουλίχιον πολύπυρον, ποιῆεν. (*Od.* XVI, 396). Cf. Exc. C. — 4. *Il.* II, 615.

5. Eo magis quod urbem paulo ante noctem Neium jam inumbrat.

6. *Od.* XV, 427, XVI, 426. — 7. *Od.* XIV, 97, XXI, 109. — 8. *Od.* XVIII, 84-8, 116. — 9. *Od.* XXIV, 11.

partem, ζόφῳ vero septentrionales tenebras assignavissem, tamen, ubicumque alias inter insulas et sub sole sita sit nostra Ithaca, neutiquam possumus dubitare quin eadem sit insula quam in Odyssea descripserat Homerus : quod nec Vœlkerius admittere omnino recusat : eam vero prave descriptam contendit. Ego autem non diffitebor descriptionem homericam a Gellio nimis perfectam judicatam esse : a Vœlkerio vero, minus quam æquum erat, probata fuit. Qua de re mirum in modum cuncta testimonia consentiunt; ita ut quisque viator novus qui Ithacam invisit, nihil aliud possit quam quidquid ab aliis jam narratum est iterare : hi vero, Homericæ Odysseæ fidi interpretes, verbum verbo propemodum reddiderant.

5. Nec adeo exilis insula est, nec lata[1]; aspera[2] quidem, saxosa[3], pascuis caret quibus equos alere, et campis ubi curribus possit uti[4]; nec tamen sterilis, ut desertus ille scopulus[5] cui Ithacæ nomen Spohn temere indiderat : montes enim inter frondosos silvasque[6], agros habet uberrimos[7] quos fecundare certant pluvia, rosque singularis, divinus, et perennis fontium aqua[8]. Copiosum igitur frumentum[9] alit; olivas[10] maturitatem adipisci videt; nec facile, vel in beatissimis Scheriæ hortis, aut fructus, aut olus invenitur, cui invideat[11]; ceteris etiam felicior arboribus, vitis omnigenas præbet uvas[12], vinumque dulce, sed rubrum, nigrans[13], multaque temperandum aqua[14]. Ipsæ quæ non aratro aut rastris vertuntur terræ, parum equis et mulis

1. *Od.* XIII, 244. — 2. Τρηχεῖα (*Od.* IX, 27, XIII, 242). κραναή (I, 247, XV, 510, XXI, 346). — 3. Παιπαλόεσσα (XI, 480). — 4. IV, 605-9, XIII, 242. — 5. Vulgo ἄτοκος (infecundus), unde etiam *Iotako* appellatus. — 6. Νήριτον εἰνοσίφυλλον (IX, 22), καταχείμενον ὕλῃ (XIII, 351). ὕλη παντοίη (XIII, 246-7). — 7. Πίονα δῆμον (XIV, 329, XIX, 399), sive ἔργα (IV, 318), πίονας ἀγρούς (IV, 757). — 8. XIII, 245-247. — 9. Σῖτος ἀθέσφατος (XIII, 244). — 10. XXIII, 190, XXIV, 246. — 11. V. Laertis fundum descriptum, XXIV, 221 sqq, 339 sqq. — 12. XXIV, 342. — 13. Μελιηδής, ἐρυθρός, αἴθοψ, pass. 14. XXIV, 364.

idoneæ, qui aut Spartæ relinquuntur[1], aut mittuntur in Elidem[2], bobus certe, porcis, ovibus bona, capris optima est, quæ in montibus numerari vix possunt[3].

Solum tamen, etsi, jam per se ferax, agricolarum etiam patientia et sudoribus fecundatum est, munera sua non adeo large et liberaliter effundit ut tot incolis sufficiat : quibus Cephallenia[4] greges, Acarnania[5] greges et frumentum alit, mare præsertim externas præbet opes. Insulæ vero natura favit : ubique enim in littore, naviculis, si quandoque a procellis ex improviso agitantur, stationes occurrunt tutissimæ, magnasque ipsas naves portus plurimi, profundi, adversus omnes ventos tuentur[6]. Ithacenses igitur Græci, veluti Scheriæ Phæaces, nautæ peritissimi facti sunt : urbis in portu multæ naves numerantur, aut vetustiores, aut novæ omnino[7], quæ quotidie vicinas insulas petunt, in Elidis et Messeniæ urbes descendunt sæpissime, nonnunquam etiam maria longinquiora et minus nota tentant[8].

Ea est insula quam, ab Homero descriptam, ipse, post tot alios, invisi. Rariores silvæ in Nerito virent; nonnulli, deficiente arborum umbra, fontes exaruerunt; nec Argus in saltibus aut capras aut cervos[9] etiamnunc sequeretur (supersunt vero lepores, quamvis id Plinius[10] negaverit); Eumæi porcorum denique numerus imminui non desivit[11]. Parum tamen immutata terra est, nec alia in omni Græcia regio est quæ veterum descriptionibus ita conveniat.

Vel incolarum ingenium et mores adhuc perstitisse videntur : qui tamen ne Corinthiacis quidem accolis orti sunt, nedum se veram Ulyssis, Eumæi[12] et Philetii prolem jactare possint. Constat enim, exeunte jam media ætate, ad id Venetiam coactam esse ut per insulas et in ipso continenti novos

1. IV, 601 sqq. — 2. *Ibid.*, 635. — 3. *Ibid.* 606 et pass. — 4. XX, 210. — 5. XIV, 100 sqq. — 6. Λιμένες πάνορμοι (XIII, 195). — 7. II, 293. — 8. XIII, 248, 256 pass. — 9. XVII, 295. — 10. *Hist. nat.* IV, 12. — 11. *Od.* XIV, 17.

12. Eumæi se nepotem esse falsus ille Koliades prædicat.

quæreret colonos[1], qui desertam Ithacam[2] occuparent. Sed recentiores hos incolas ad easdem virtutes terra eadem informavit; nullaque, hoc in mari, insula est, cujus cives laboris patientiores videantur, aut quæ plures naves instruxerit[3] ditioresque ex agro tam exili fruges colligat. Nec seditionem Ithacenses, nec lites amant[4]; quid sit scelus propemodum nesciunt; idque adhuc dici potest quod Ulysses de patria sua profiteri gloriabatur, optimam populi altricem[5] esse hanc terram, imo ei suam semper Minervam favere.

1. Anno MDIV. Cf. Mure, t. I, c. 4.
2. Τὴν ἔρημην Ἰθάκην (Fauriel, *Chants popul. de la Grèce*, t. I, p. 118).
3. Non minus sex et triginta magnis navibus *Vathy* habebat cum eam iterum anno MDCCCLIII invisi.
4. Ab hospite et amico quodam meo, qui judicis munere in utraque insula functus erat, id accepisse memini, non tot Ithacæ in anno integro quam viginti diebus Cephalleniæ judicia judicari, cum Cephallenia tamen Ithacam non quinquies incolarum numero excedat.
5. Ἀγαθὴ κουροτρόφος (*Od.* IX, 27).

CAPUT SECUNDUM.

GELLII DE URBIS ULYSSEÆ SITU REFELLITUR CONJECTURA.

1. In tam brevi spatio vel minima singulatim Homerus descripsit, nec ita tamen ut omnia facile agnosci possint : Neritum sane conspicuum, Phorcynis portum ab omnibus ventis defensum, Nympharum speluncam, Arethusæ fontem et Corvi petram, hæc omnia, qualia ea poeta pinxit, et nos visuros sperare possumus; sed quomodo poterimus, inter tot fundos, peris, ficis et vinea pariter luxuriantes[1], nec multum distantes a mari[2], unum ex aliis hortum eligere cui Laertis nomen reddatur?

Si vero, cum plurimos portus insula habeat, portum urbis aut Rheïthrum, si lucum Apollinis fontemque ab Ulyssis proavis structum, aut Mercurii collem ipsumque Neium quod urbi imminet reperire in animo habemus, necesse est prius novisse qua in parte insulæ urbs sita fuerit.

At hæc adhuc pendet controversia, repertuque difficilior in insula urbs, quam insula in ponto erat.

2. Constat ex diversis testimoniis plures fuisse in insula urbes, Ithacam videlicet, Polyctorium[3] Alalcomenasque[4]; quarum unam tantum Homerus novit; nec eam peculiari nomine usquam designat : unde credere est idem fuisse insulæ et urbis nomen.

1. *Od.*, XXIV, 205-270, pass. — 2. Ut ex XXIV, 306-8 conjicitur. Cf. etiam I, 190, 193; XVI, 150.

3. Eust. *Od.*, XVII, 207 ; *Etym. ma n.*, s. v. Πολύκτωρ.

4. Steph. Byz., s. v. Cf. Strab. et Plut. infra citatos.

Summo in saxo, quod, velut isthmus, utramque insulæ partem jungit, minime contemnenda oppidi rudera Gellius invenit, quod sine dubio hellenicum et idem pervetustum est. Cum tota in insula nullæ supersint ruinæ satis dignæ quæ cum isthmi muris comparentur, facile inde inferre Gellius potuit se Homericam invenisse urbem : imo urbem in littore, arcem in colle, summo in cacumine ipsam Ulyssis domum se vidisse sibi finxit. Inde, tanti momenti testimonio confisus, murum, primam et interiores aulas, ipsum limen, cænaculum, armarium Penelopesque thalamum vel in tabula curiose et solerter composita delineare Schreiberius[1] non dubitavit. Ubi vero æreis aliquot in numismatibus, ibi repertis, Ulyssis caput primasque Ithacæ litteras viatores agnoverunt[2], jam non fas fuit dubitare quin una et eadem fuerit Homeri et Gellii Ithaca. Ex quo, si quis, effosso solo, aliquid etiam consecutus erat, hic Ithaci, Neriti et Polyctoris fontem, alius Penelopes gemmas, ille Telemachi hastam se invenisse gloriabatur.

Ceterum, Gellio de urbis situ fide adhibita, neque ego infitiar tum (dummodo ex Cephalleniæ promontoriis unum electum fuerit quod pro insula habeatur Asteridosque accipiat nomen) satis facilem esse cujuscumque homerici de Telemachi aut Ulyssis itineribus loci interpretationem.

Id vero non satis est. Neque murorum figura pro certo argumento proponenda est, cum satis constet[3] non semel ac-

1. In libro tamen accuratissime composito; nec aliud auctori defuerat quam locos ipsum invisisse. V. cap. IV : *Beschreibung des Hauses des Odysseus.* Cf. Lechevalier, *Ul. Hom.*, pl. V.

2. Cf. Eckhel, *Doctr. numm. vet.*, 1794, vol. II, p. 274; Gell, s. 49; P. de Bosset, *Essai sur les méd. ant. des îles de Cephall. et d'Ith.*, Londres, 1815, p. 29; Schreiber, p. 102-4. Ego quoque Ithacæ, sed in septentrionali insulæ parte (cf. Bosset, p. 11), nummum inveni Ulyssis et Palladis capite impressum.

3. Præsertim ex quo in Lycæo monte inventi sunt rudes et multanguli lapides lapidibus orthogoniis superimpositi.

cidisse ut eodem tempore modis diversis (nunc recentiori præsentis sæculi, nunc obsoletiori more), ædificaretur; sæpius etiam, ut ejusdem generis ædificia non tamen ejusdem temporis essent, si condita erant apud populos quorum alter serius artes didicerat : nec quisquam erit qui dubitet, si modo Odysseam perlegerit, Ithacam Pylo, Mycenis et Sparta, tum opibus, tum artium aut industriæ profectu multo inferiorem esse. Quod si igitur muros propemodum similes servavissent, verisimile esset quod ibi ab Agamemnone aut Atreo exstructum fuerit, idem hic Ulyssis nepotibus adscribendum esse.

At Gellio libuit pervetustos Ithacæ muros aliquot etiam annis vetustiores quam sunt fingere, ut Myceneis Tirynthiacisque ruinis ætate propiores fierent; quibuscum vereor ne perperam collati[1] fuerint, cum totam per Græciam, præsertim vero in Græcia occidentali, plurimarum urbium eversarum occurrant ruinæ quæ, Ithacæ ruinis similes, eamdem ætatem sibi vindicare videantur, Cyclopum vero et Iliadis tempore sine dubio recentiorem.

3. Gellio vero assentire nullo modo possum, cum mecum et quæ dixerit Homerus, et quæ non dixerit, reputem; isthmiacamque arcem ab Homero ignotam omnino fuisse ex eo facile arbitror quod eam aliis certe coloribus pinxisset quam Ulysseam urbem pinxit.

Neque enim is est arcis Gellianæ situs ut a ceteris arcibus non omnino discerni debeat : quæ duos montes dividit, mari utrinque imminet, et aditu caret undique. Mirum erit si poeta ille, cui semper ea colligere placet quæcumque locorum vividam imaginem offerunt, postquam Pheras apud lacum conditas[2], arduum[3] Dium, Gortyna bene munitam[4] vel cursim ante oculos posuit, totiesque nos docuit Ilium a ventis agitatum esse, solam Ithacam, de qua tamen

1. Nominatim : Cf. etiam Lechevalier, op. cit. p. 1,59. — 2. *Il.*, II, 711 — 3. *Ibid.*, 538. — 4. Τειχιόεσσα (*ibid.*, 646).

sæpius loquitur, ita negligenter descripserit ut nec muros ejus (si qui fuissent memoratu digni), nec prærupta latera, nec duo quæ prospicit maria uno saltem verbo memoraverit. Vel in ipso Ulyssis regno, suo nomine pingitur parvum illud, forsan in mari, saxum, cujus cacumen ipsis capris impervium est[1] : eam vero si arcem, scopulis et pelago velut aquilæ nidum superimpendentem Homerus aspexisset, credimus eum fallere potuisse aut imaginem quæ sponte sua Ciceroni se obtulit[2], aut nomen illud vere homericum[3] ab ipsis pastoribus colli et ruinis vulgo inditum ?

Id etiam Homerus notat difficiles esse vias quæ ab antro Nympharum in Eumæi stabula, ab Eumæo ad fontem urbi vicinum ducunt[4] ; multo difficilior vero ea esset quæ a fonte in arcem duceret : cur de ea tacuit omnino, quam tamen assiduo sequuntur, si qui aut ab ædibus in forum, aut ab urbe in portum descendunt ?

Ulyssis ipsam domum, septo munitam esse, ab urbe sejunctam, ceterisque majorem et pulchriorem fuisse constat[5] : quibus tamen eam imminere, veluti arcem valde munitam, præruptam, inexpugnabilem, nihil est cur credamus. Præterea, quis, in spatio tam exiguo, muris undique circumvallato, quis, inquam, his ædibus superest locus, quæ aliæ aliis succedunt[6], insuperque et aulæ, et pavimento ante fores condito, ubi discos, hastilia insolentiamque suam proci exercent[7], hortoque præsertim et antiquæ olivæ[8] cui thalamum Ulysses circumdedit ? Quomodo etiam in arduum collis cacumen hi perrepsissent boves quorum ibi simul ac mulorum stercus abunde fusum erat[9] ? Urbi denique in declivi, per

1. Αἰγίλιψ τρηχεῖα (*Il.*, II, 633), forsan hodierna Ἄτοχος. 2. Ithacam in asperrimis saxis tanquam nidum affixam (*de Orat.*, II, 44).— 3. Ἀετός, αἰετός, unde Aitos, *Aito*.

4. Ἀταρπὸς τρηχεῖα (*Od.*, XIV, 1), ἀταρπιτός, ἀρισφαλής, παιπαλόεσσα (XVII, 234, 196, 204). — 5. *Od.*, XVII, 264, sqq. — 6. *Ibid.* 266. — 7. Πάροιθεν μεγάροιο, ἐν τυκτῷ δαπέδῳ (IV, 625, 627). — 8. XXIII, 190. — 9. XVII, 297-8.

saxa prærupta, locus deest, quæ nobis lata apparet, et cujus domus non angustis in vicis densæ et contractæ, sed per agros sparsæ arboribusque circumfusæ videntur[1]. Nonnulla quoque argumenta mihi præbuere Ithacæ portus, Asteris insula, et Neium quod urbi imminet : quæ infra explicari melius erit[2].

4. Ad id vero forsitan ii me cogent quibus Gellii conjectura nimis placet, ut ipse meam de Ἀετοῦ ruinis sententiam in medium proferam, quibus vel nomen defuisse parum verisimile est, cum his in regionibus paucissimæ urbes exstiterint quarum tanta rudera adhuc reperiantur. De quo nihil esse profiteor quod pro certo velim asserere : quid suspicer vero et ego dicam. Libenter ex Homeri versibus crederem antiquissimam Ithacensium urbem ita conditam fuisse ut hospitibus urbs ipsa, incolis domus ducum facile pateret : populum enim adversus vicinas gentes naves suæ, ducem populi amor[3] satis tueri videbatur; neque adeo rex pollebat ut eum sibi ex arce munitissima imminere cives sinerent.

Postea vero populum principemve, aut utrumque simul, nimiæ fiduciæ pœnituit. Dum Ilium contra ex montibus ad littora maris et Scamandri agros descenderat, Tirynthos vero exemplo quam, expugnatu nimis facilem, incolæ deseruerant, ut Mycenas proximamque Larissam occuparent, refugere in saxa prærupta urbs Ulyssea potuit : ita ut populus se contra hostes, rex vero se, summo montis in cacumine, contra populum muniret. At, sive Ulyssis nepotibus, ut tuti seditionem refrenarent, sive Corinthiacis colonis ut novam dominationem stabilirent, hunc aquilæ nidum mœnibus instruere placuit, eos sane nec vidisse Homerus potuit, nec descripsit in Odyssea.

1. Πᾶσαι ἀγυιαί (II, 388), εὐρύχορος (XXIV, 468.). — 2. C. III.
3. Cf. *Od.* II, 230-234. Ithacensium rex et idem pater Ulysses erat, οἷσιν ἄνασσε, πατὴρ δ'ὣς ἤπιος ἦεν.

Alalcomenæ[1] fortasse primum dictæ sunt; quarum crevere paululum opes, vires invaluere, non adeo tamen ut per se gloriam insignem se adepturas sperarent : illustrioris ergo quæ perierat urbis sibi nomen et historiam sumpserunt. Eo tempore non ignoramus omnes id populos pro summo decore habuisse si ab Homero celebrati fuissent. Ut septem sibi Homerum, tres Nestorem sibi urbes vindicabant, recentiusque Ilium se veram Hectoris et Æneæ Trojam, Romæ parentem haberi contendebat. Quod exemplum Alalcomenæ secutæ, Ithacæ occupaverunt nomen nummisque suis Ulyssem impresserunt. Post diuturna oblivia, iterum a Gellio nomen illud quo gloriatæ erant receperunt, quod etiam pæne in omnibus Græciæ descriptionibus obtinent.

Ego vero neminis nisi Homeri testimonio fidem adhibere statui, quod, etsi nos subtili interpretatione Gellius, invitus quidem, fefellit, falsam Ithacam non secus ac falsam Trojam arguit. Ducem igitur solitum etiamnunc sequar, veramque Ulyssis urbem ibi nitar invenire ubi continget agnoscere, potius quam dubiæ ætatis ruinas, locos certe a poeta descriptos.

1. Strabo, X, 457; Plut. *Gr. Quæst.* 43.

CAPUT TERTIUM.

DE URBE ITHACA ET MONTE NEIO.

1. Si quis ab *Aeto* occidentale insulæ littus versus septentriones sequitur, post duas circiter horas portum invenit qui ab incolis etiamnunc *Polis* appellatur; nec alio unquam nomine Homerus usus est, qui semper insulam sive *agrum* et *urbem*[1] dixit, veluti *urbs* pro Roma, *urbs* et *astu* pro Athenis, cum nullum adderetur verbum, haberi quoque solebat.

Illud nomen indicii profecto, argumenti vero nequaquam vim et auctoritatem in se habet, quippe sæpius, post longam annorum seriem, locis antiquiora nomina reddit vulgi opinio, quæ jure restituuntur aliquando, nonnunquam quoque immerito transmoventur.

Cum vero occidentali in parte non aliam quam *Aeton* et *Polin* vel naviculis stationem offerat insula, cujus cetera littora ratibus ubique patent, harum alterutram pro urbis Ithacæ portu haberi necesse est: nemo enim est qui urbem Cephalleniæ non obversam fuisse credat. At *Aeti* stationem exiguam, malefidam, jaciendisque anchoris, Noto aut Zephyro spirante, vix idoneam esse scimus : *Polis* contra portum vel navibus satis tutum offert, et valde profundum, πολυβενθέα[2], quem profundiorem etiam fuisse conjicere possumus, antequam vineti continentis limus et littoris arenæ ipsum in mare imbribus fuerint deportatæ.

1. Δῆμος, ἀγροί, πόλις, ἄστυ, pass. ἐπ'ἀγροῦ, νόσφι πόληος, (I, 185, XVI, 383, XXIV, 212), ἐξ ἀγροῖο πόλινδε (XVII, 182). — 2. XVI, 324.

Celerum, contra *Polin*, Cephalleniæ propior, quædam in mari jacet insula, saxum videlicet humile, exiguum, cui non inesse duplices Asteridos portus[1] fatebor : sed deserto in saxo[2] satis erat patere portus qui ratem viginti remigibus instructam[3] reciperent; et eorum objecta latera a pelago circumfluenti sensim deformata omninoque subesa fuisse verisimile est; insulam enim jam ego non adeo latam quam ab ætatis nostræ geographis descripta fuerat vidi : quid ergo mirum si, tot post secula, priorem formam amiserit?

Nimis facile est ab Cephallenia promontoria[4] divellere, quæ nunquam tamen fluctibus undique circumcincta fuisse liquet, nec melius duplicem portum ab Homero memoratum servavere. Igitur, quandoquidem in freto[5] non alia quam *Dascaglio* jacet insula, nec alius quam *Polis* in Ithacensi littore profondus patet portus, et quoniam ita sibi invicem insula portusque respondent ut nobis facillime fingamus quidquid ab Homero de eis narratum fuit, jam, vel antequam ad alia argumenta transeamus, non modo licet, sed oportet, ut Leakio visum est, hac in Ithacæ parte homericam urbem quærere quæ non eadem atque *Aetos* fuit.

2. At, hisce in littoribus, vix rarissima antiquissimæ urbis vestigia, ne rudera dixerim, occurrunt. Cur vero, si qua exstant ceteris spectabiliora rudera, ea ætati remotissimæ assignare jubemur? Verisimilior ea esset opinio quæ ex homerico ævo nihil propemodum adhuc superfuisse arbitraretur, præsertim cum ne nos Homerus quidem in urbis eversæ ruinis aliquid quærendum admoneat quod spectabile, quod in æternum conditum fuerit.

Multa nos de Ulyssis domo Homerus passim docuit, quam

1. Λιμένες ναύλοχοι ἀμφίδυμοι (*Od.* IV, 846.). — 2. Νῆσος πετρήεσσα, οὐ μεγάλη (*ibid.* 844–6). — 3. *Ibid.* 669. — 4. Chelia (Gell.) Erisso (Goodisson, *Itin.*, p. 132.) — 5. Ἐν πορθμῷ Ἰθάκης τε Σάμοιό τε (*Od.* IV, 671, cf. 845.)

magnam[1], excelsam[2], bene fundatam[3], bene ædificatam[4] et instructam[5] fuisse dictitat. Quin etiam ædes pulchras[6] et splendidas[7] pingit, quibus nec columnæ in altum erectæ[8] pulchraque laquearia[9], nec circum mensas, procis octo et centum[10] satis amplas, solia varia, polita, perpulchra, crateres floribus et vino coronati, argentei lebetes, aurea gutturnia deficiunt[11]. Operæ pretium esse non negaverim, si quis, ut sciat melius quo more vixerint heroes homerici, Ulysseæ domus ex poetæ versibus formam lineis exprimere conatus sit. Si vero ædium illarum præcipuas tantummodo partes reputamus, septa scilicet et aulam[12], tum vestibulum[13] et porticum[14]; deinde domum ipsam ubi procorum convivia ipsaque insuper pugna aguntur, aut Telemachi thalamum, qui sublimis conspicuoque in loco exædificatus fuerat[15], aut gynæceum[16] et ipsius Penelopes habitationem, quæ duplex videtur fuisse cum superiorem domus partem[17] illa interdiu occupet, thalamum vero seorsum habeat lectumque olivæ trunco ab ipso Ulysse superimpositum[18], suum singulis, vel in adumbrata effigie, locum assignari perarduum est; nedum ostendi possit ubi quærendæ sint, seu, in septis, occulta porta[19] qua in urbem exitus patebat; seu, in domo interiore, balnea bene polita[20], armariumque ubi Ulyssis hastæ reconditæ erant[21], cella[22] ubi dominum rediturum dulcissima vina exspectabant, molæ quibus duodecim ancillæ sedulo incumbebant, quæ panem, *virorum medullam*,

1. *Od.* XXIII, 146.—2. ὑψηλός (I, 126), ὑψόροφος (X, 474), ὑψερεφής (IV, 757, V, 42). — 3. ἐϋσταθής (XX, 258). — 4. XIII, 306, XXII, 455. — 5. εὐναιετάων (II, 400, XVII, 28, 275). — 6. XVII, 264, XIX, 580, XXII, 495. — 7. XXII, 239. — 8. XIX, 38. — 9. XIX, 37, XX, 259, XXII, 121. — 10. XVI, 247 sqq. — 11. I, 130, 136, 148, XXII, 452, pass.

12. XVII, 265 et pass. ἕρκος, αὐλή, ἕρκιον αὐλῆς (XVIII, 100), αὐλὴ εὐερκής (XXII, 449), ἕρκεά τε μέγαρόν τε (XVI, 341, XVII, 604), ἕρκεα καλά (XX, 164). —13. πρόθυρον (I, 103, XVIII, 100), πρῶται θύραι (I, 255, alias). — 14. αἴθουσα εὐερκέος αὐλῆς (XXII, 449), ἐρίδουπος (XX, 176).—15. I, 425-6.—16. XXIII, 41. —17. ὑπερώϊα (pass.), σιγαλόεντα (XXII, 428).—18. XXIII, 178 sqq.—19. Ὀρσοθύρη (XXII, 126, 333).—20. XVII, 87.—21. I, 127, XXII, 156.—22. II, 337.

pararent[1]; seu, denique in aula, Jovis domestici *fabrefactæ* aræ[2], tholusque[3] ubi graves de mulieribus impuris sumi pœnas Ulysses jussit.

Ceterum ne oblivisci quidem licet Ulyssis domum, quamvis pro magnifica et ipsa habeatur, non adeo tamen structuræ forma aut regali luxu enituisse ut Nestoris (ne fabulosas Alcinoi ædes memorem) Menelaique præsertim ædibus æquiparanda esset, quas ut vidit, luna et sole haud minus splendentes, obstupuisse Telemachum non ignoramus. Quod si ea miracula omnino periere, quid volumus ad nostram ætatem aliquod etiam Ulysseæ Ithacæ vestigium exstitisse? Homeri verba accurate perpendamus, ne nos fallat quæ sit ea quam Ulysses Eumæo jactat magnificentia : quid vero columnæ sine dubio ligneæ, bene obseptæ fores[4], argenteo annulo[5], lora et clavi[6] instructæ, postes cupressei[7], fraxinea[8] limina in se habent quod aliquot annos vicisse possit? Nec opus certe fuit ab aliquo olivæ fundum succidi[9], ut periret lectus ille quo nihil omnis domus spectabilius habuisse verisimile est, cum Ulysses se opus id mirabile, μέγα σῆμα[10], suis manibus, nullo adjuvante, effecisse glorietur. De ebore, argento, auro non semel, de marmore nunquam agitur. Solis lapidibus vincere secula datur; qui vero in hac domo firmiter et affabre structa propemodum numerantur; muro simul, excelso quidem[11], et septis aulam defensam esse, solido quoque in pavimento[12] ludere procos, limen lapideum[13] in cœnaculum ducere, lapidibusque densis[14] lectum ab Ulysse impositum fuisse scimus : e quo tam parvo numero quot lapides suam adhuc sedem retinuisse arbitramur?

1. XX, 106-8. — 2. Διὸς Ἑρκείου βωμὸς τετυγμένος (XXII, 334-5). — 3. XXII, 442, 459.

4. XXII, 258, pass. — 5. I, 442. — 6. IV, 802, 836, XXI, 6-7, 47, 50, pass. — 7. XVII, 340. — 8. *Ibid.* 339, et quercina, XXI, 43. — 9. XXIII, 204. — 10. *Ibid.* 188.

11. τοῖχος εὔδμητος (XXII, 126), μέγα τείχιον αὐλῆς (XVI, 343). — 12. δάπεδον (XXII, 309), τυκτόν (IV, 627). — 13. XVII, 30, XX, 258, XXIII, 88. — 14. XXIII, 193.

Nec regali domo multo minus fragilis urbs fuit, quam tamen vastam, plurimis trajectam viis[1], illustrem[2], imo bene ædificatam[3] fuisse Homerus testatur : id vero pariter de omni, vel ignota, urbe vulgo et temere dicitur[4], quasi urbis, domus etiam nomen adipisci non possit quidquid non bene ædificatum est; bene *mœnita* vero, ut Tiryns, turribusve bene cincta, ut Ilium, Ithaca non dicitur. Indignabimur ergo si, cum Priami et Menelai splendidæ ædes omnino perierint, totque ex insignissimis homericæ urbes adeo eversæ sint ut a viatoribus incassum quærantur, nulla in paupere illa Ithaca Ulysseæ domus et urbis vestigia exstent! easque non alibi inveniri licere statuemus quam ubi ruinæ exstant non modo Iliacis magis conspicuæ, sed quibus etiam recentioris Græciæ urbes florentissimas, Spartam scilicet et Thebas, cedere æquum esset!

3. Porro nihil jam obstat quin urbem cujus ruinas periisse verisimile est, non ex ruinis, sed ex locorum figura, accuratissime ab Homero descripta, restituere tentemus : loci enim et natura minus quam opera hominum, quæcumque sint, mutari solent.

Odysseæ descriptionibus mirum in modum respondet septentrionalis hic situs de quo locutus sum, facilioraque intellectu facit ea quæ in poemate narrantur.

Urbis portui hinc Neritum impendet; illinc ab eo Argestam et septentrionem arcet mons cacumine humilior, radicibus minus latus, a ceteris montibus undique et omnino sejunctus, denique, ob formam singularem, valde conspicuus. Quacumque ex parte locos prospexeris, is, ubi apparuit, oculos detinet : quem Neïum esse asserere minime dubito.

Plurima nos exempla docent montes, non ob amplitudi-

1. II, 388. XXIV, 467. — 2. XVI, 170, XXIV, 153. — 3. XXII, 52.
4. VI, 315, IX, 533, XXIII, 259.

nem ab usu nomen accipere; quod iis sæpissime negatur, si qui incompositi sunt : a vulgo contra ultro datur, si quod jugum, si quis collis, si quod saxum denique figuram offert quæ visu facile dignoscatur. Multi igitur Cephalleniæ et Acarnaniæ qui ab Ithaca conspiciuntur, longi scilicet et excelsi montes, ne a pastoribus quidem peculiari nomine appellantur; Neium vero, etsi exile est, quia propriam figuram habet, proprium sibi nomen vindicat.

Pro Neio partem Ithacæ meridianam eamque insulæ dimidiam Gellius habet, quod tum Neritum alterum esset, ipsi Nerito non impar : quæ, cum a Nerito non discernatur, aut Neritum etiam, aut mons, sine alio addito verbo, aut extrema insula, ἐσχατιὴ ἀγροῦ[1], tantummodo appellata fuisse videtur. Id vero Neium quod defendimus, cum Nerito uno et eodem nomine comprehendi (nam plane sejuncta sunt et dissimilia), nec magis (cum adeo disparia sint) conferri potest. Ubi longius discesseris, jam evanescit ex aspectu, unumque in insula sua montem esse, nempe Neritum[2], Ulysses dicit. At, si propius stes, oculos prope magis in se trahit, itaque urbem suam sub Neio[3] conditam esse idem declarabat. Hic insulæ, urbis ille mons proprius est. Haud aliter, si montes Atticæ quæras, Hymettus, Pentelicus, Parnessusque ostendentur ; si vero Athenarum, ab his aut arci aut parvo Lycabetto primus honor concedi aliquando poterit.

Illud etiam non negligendum est sub Neio silvoso non urbem modo profundumque ejus portum situm fuisse qui Cephalleniæ adversus est, sed etiam alium in agris, longius ab urbe, portum[4] quo, (scilicet ne, Neii promontorium circumnavigando, a recto declinaret itinere, quod a Tapho

1. XXIV, 150. — 2. IX, 21-22. — 3. III, 81.

4. ἐπ' ἀγροῦ, νόσφι πόληος,
Ἐν λιμένι Ῥείθρῳ, ὑπὸ Νηίῳ ὑλήεντι.
(I, 185-6).

ı[1] in Italia[2] petit), navem suam appulit non rex
ım Mentes, quem venti quocumque ferre potuissent,
. Minerva, quæ, cum pro Mente haberi sibique non
elit, eum designare portum debuit in quem Taphiam
, Italiæ petentem oras, appulisse ex consuetudine
ile erat. Cum vero de utriusque portus situ nulla con-
ia moveri possit, quoniam hic in occidentali, ille in
trionali parte insulæ quærendus est, constat quoque
ro Neïo habendum esse montem qui utrique simul
et. Quod mihi tot argumentis satis probatum et con-
tum fuisse videtur.

Proinde urbis ipsius situm nunc homerici versus,
eque, licet rariores occurrant, manifestius docent.
eii jugum silvæ occupabant; urbs infra[3] condita fuerat,
tamen in ipsis montis radicibus, quippe descendere
icuntur qui ex urbe agros, Laertis videlicet hortum[4]
unt.

Neii in declivitate, saxum satis conspicuum, unde muri
antiqui rusticeque conditi aliquot etiam in dumis super-
les lapides freto imminent, altissimam extremamque, ver-
s occasum, urbis partem indicare mihi videbantur; quàm
ationem obtinentibus opportunam (σκοπιήν) speculatoribus
ephalleniam simul Leucadisque fluctus prospicere erat[5],
e populum incautum opprimerent si qui eam ex Tapho
ericove prædones repente aggrederentur.

Hinc ad mare sensim urbs descendebat, collibus qui
Neium cingunt in orbem imposita; unde se fontium et cœli
aquæ trifariam dividunt ut *Polin* petant Rheithrumque et
littora quæ continenti opposita sunt. In vinetis quæ usque
ad portum occidentalem passim se extendunt quærendum

1. I, 180, sqq. — 2. Strab. VI, p. 255. — 3. Cf. I, 186, III, 81, jam cit. — 4. XXIV, 205. — 5. Ubi fortasse procorum speculatores sedebant (XVI, 365).

est forum[1] popularibus conciliis addictum; in oliveto vero, quod montis declivitatem ad Euronotum tegit, Ulysseam stetisse domum augurari licet: nempe hic spatium non deest quo ædium partes (ἐξ ἑτέρων ἕτερα) se explicent, et conspicuo in loco positus sit Telemachi thalamus; aliisque deficientibus indiciis, cisterna saltem pervetusta testatur locum longo ex tempore habitatum fuisse.

Mediocri interjecto spatio, summa viridariorum in parte quæ aquas suas in urbis portum emittunt, sacellum S. Eliæ dedicatum, arboribus cinctum undique, Apollinei luci, in quo ludos proci exercebant[2], locum obtinuisse potest, eo magis quod a sole oriente primum illustratur.

Paulo altius etiam, stillat ex magnæ et præruptæ petræ radice fons ad hanc diem reverentissime cultus (fontes enim hac in insulæ parte rariores sunt), quem, ob aquam colore obscuriorem, limpidam tamen, Μελάνυδρον etiam incolæ dictitant. Nec circa fons alius satis dignus est qui ab urbis conditoribus electus fuerit. Cum prius de summo saxo præceps flueret[3], lapideum cratera, stillantes aquas recepturum, ipsi, ut perhibent, struxerant Ithacenses heroes, aramque insuper addiderant fontanis Nymphis sacratam[4]. Hinc viginti mulieres Penelopes aquam quotidie hauriebant[5]; hic Ulysses cum Eumæo, hic Melanthius bubulcus (etsi eos paululum de via sua declinare fortasse oportuit) sacra de more fecerunt[6]. Non se ultra extendisse urbem verisimile est, cum Rheithrum constet esse ab urbe longius, in agro: quo difficilior et abrupta ducit via.

1. II, 7. — 2. XX, 278.

Ἄλσος ὕπο σκιερὸν ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος.

3. ὑψόθεν ἐκ πέτρης. — 4. XVII, 205-211. — 5. XX, 158:

Αἱ μὲν ἐείκοσι βῆσαν ἐπὶ κρήνην μελάνυδρον.

6. XVII, 204 sqq.

Tertia a *nigro fonte* vallis incipit[1], quæ spectat ad orientem portuque terminatur tutissimo, quem utrinque septentrionalis promontorii objectæ rupes Neritique occidentales radices defendunt. Unius horæ itineri vix sufficit intervallum quod a *Poli* hunc portum sejungit, unde nunc a vicis proximis in hodiernam Ithacam (Vathy) naviculæ quotidie transeunt, sicut, Ulyssea jam ætate, profecti fuisse videntur quicumque greges in continenti pascentes invisebant: qui tamen portus nomen ab Homero celebratum præ se ferre non potest.

5. Neminem sane fugit quam opportunus constituendæ civitati is locus fuerit; nec omni in insula, ne excepta quidem felicissima *Vathy* valle, quæ tres quoque portus, sed eos ad septentriones uno eodemque modo versos, alius reperiri situs potest qui urbi Homericæ magis convenerit. Brevi sane, discordiarum et belli pericula invitos incolas impulerunt ut regni caput in spatium perangustum et sterilia saxa transferrent, firmioribusque includerent mœnibus; serius etiam eos, ut hodie, pax melior gentiumque stabiliora jura rursus in littora descendere sinent ut fertilissimo agro portuque adversus ventos tutissimo, etiamsi ab hostibus defendi minus possent, potiantur: Homericis vero temporibus, parum secura *Vathy*, nimis ab agris remota *Aetos* fuisset. Ante omnia, ubere agro opus erat, ut, vel si aliena auxilia defecissent, ipsi sibi urbs sufficeret, cunctaque in promptu haberet quæ sunt omnino necessaria. Atqui pagus ille, tres in se valles continens, exiguas certe, sed uberrimas, frugibus et arboribus diversissimis idoneas, frumentum, triticum oleraque fert omnigena, linumque insuper quod Penelopes operum memoriam revocat; nec arguetur Homerus nimis fertiles Laertis hortos extulisse, cum et nobis,

1. Vallium ad commune caput jacet nunc vicus ob situm *stávro*, id est *crux*, appellatus.

iisdem prope in locis, immixtæ ficis, olivis, piris vitibusque variis a poeta memoratis, siliqua etiam ramos fructibus incurvatos et aliquando malus aurea dehiscentes simul flores pomaque maturescentia obtulerint.

Neritum et Neium a messibus tempestates arcebant, incolisque etiam præbebant fontium aquam, focis lignum, navibus trabes, gregibus pascua, ipsique populo refugia, si forte minus secura littora facta erant. Rursus Ithacensibus, cum undique mare pateret, opes etiam alienæ ultro se offerebant, pecudes scilicet et fruges quas Acarnania et Same ne denegare quidem audebant[1], prædave a Nerico[2] post victoriam exacta.

Denique, si ad formam locorum attendimus, quis in insula, quis fortasse in terris situs, tres valles, portusque et montes totidem tam brevi in spatio coercens, ita poetæ verbis (inter se aliquando parum, ut videtur, consentaneis) respondet, cum hanc insulam montosam, abruptam, asperrimam esse dictitet, fertilem tamen, et insuper navigantibus aditu facillimam[3]?

6. Penelopes[4] ipsiusque Laertis[5] hortos quid quæram, cum vel in Homero indicia satis certa desint? Nec ubi fuerit Mercurii collis[6], etsi conspicuum hunc fuisse verisimile est, quoniam Deo dicatus erat cujus numen in primis Ithacenses adorarent[7], indicare ausim. Sed, priusquam in meridianam insulæ partem descendam, de ruinis etiam, ab Homero sane non descriptis, sed quibus Homeri nomen adscriptum fuit, pauca addere libet : neque alias in Ithaca, præter *Aeti* muros, ruinas insigniores videre est.

Paulo ultra fontem nigrum, et altius versus septentriones, horti luxuriantes abrupta rupis latera pæne retegunt; cujus in summa parte, gradus, manu sed sine arte facti, a parvis

1. XIV, 100, XX, 210. — 2. XXIV, 377. — 3. Cf. supra, c. 1, s. 5. — 4. IV, 737. — 5. Cf. C. II, s. 1. — 6. *Od.* XVI, 471. — 7. XIV, 435. XV, 319.

loculamentis in ipsa petra excavatis (quæ, nunc vacua, olim sine dubio donariis exornata erant), ducunt in aream, unde ædicula, in ipso rupis margine condita, huic antiquiori sacrario superimpendet. Ædiculam vero illam, quæ in deterius jam labitur, sacelli pervetusti sedem obtinere dubio vacat, cujus nempe ex ruderibus ipsa exstructa est : in parietibus enim inversi tantummodo lapides foramina adhuc ostendunt quibus antiqua ferramenta adacta fuisse manifestum est; imo quatuor ex parietibus duo pristinis fundamentis insidunt, vetustissimaque hac in murorum parte, magni admodum lapides, non male quadrati, coria crassa et propemodum recta formant.

Qua ætate structa sint quærere non operæ pretium est, quoniam Ulyssis et Homeri seculis recentiora sine dubio sunt. Neque id magis scimus quod a conditoribus suis nomen acceperint. Hic vero, Gellii more, et ipsum libet aliquid conjecturarum aleæ permittere. Ut Gellius enim eas quæ ceteris notabiliores erant Ulyssi ruinas adscribere non dubitavit, Palladi ego illud libenter adscriberem templum, quod solum in insula exstat : illam enim Ulyssis et Telemachi comitem assiduam, majores vel Mercurio et Apolline honores (ex quo præsertim totam per Græciam Odyssea recitari cœperat), consequi ab Ithacensibus, Ithacæque adjutricem et præsidem haberi par fuit! Christiani, fracta numinis falsi imagine, ædem tum purgatam summo novæ legis præceptori, *S. Athanasio* dedicaverunt : cujus cum nomen idem valeat ac verbum *immortalis*, vocibus collatis (utrum candidius an subtilius, incertum), sacerdos ille a quo loci nomen Gellius accepit, hanc *Homeri*, poetæ nempe immortalis, *scholam* fuisse narravit. Neque sane religionem violavisse arguetur : hac enim in insula, quæ ejus carminibus inclaruit, coli Homerus debet. Ergo, etsi, cum Vœlkerio, et ego Gel-

1. Cf. et nummos recentioris Ithacæ Palladis capite et gallo impressos.

lium facilioris fidei insimulare non dubitaverim, longe a mea mente abest ut debita officia lapidibus solvere recusem quibus Homeri nomen jam a vulgo inditum est; id contra spero fore ut secula multa vincat popularis ea opinio quæ tum aliqua veneratione digna fiet, licet initio nihil aliud fuerit quam inane et puerile mendacium.

CAPUT QUARTUM.

DE EUMÆI STATIONE ET NYMPHARUM SPECU.

1. Tempus est septentrionali pago valedicere : cui ego cum Neium montem, Ulyssis domum et urbem duosque ab Homero celebratos portus restituerim, simplici tamen incolarum superbiæ non satisfeci; quippe qui, a Gellio suis spoliati, aliena rursus sibi vindicant. Non longe ab urbe (πόλις), et fonte (Μελανύδρῳ), Homeri denique schola, sunt qui Phorcynis quoque portum (cujus vel nomen parum immutatum Φριχές agnosci vellent), Nympharum specum, Arethusæ fontem, et Corvi Petram aliquando ostentare gloriantur.

Eligant vero oportet : necesse enim est procul ab urbe desertaque in agrorum parte[1] Phorcynis portum esse. Hunc Scheria propius aliquantulum longiusve esse quid refert? Id scilicet Phæaces curant ut operæ parcant unaque aut altera hora citius, jam portum iterum adeuntes, navem suam in scopulum immutari sentiant! Curæ vero id tantum habent ut, ad portum quem pauci norunt nave appulsa, hospitem sibi a rege commissum deponant secreto in littore, ubi nemo occurrat, nisi de cœlo Pallas ipsa descenderit, nec longe ab aliquo adyto in quod se cum divitiis suis Ulysses recipere tuto possit: qui locus Φριχές esse non potest. Præterea, a spelunca in Corvi Petram difficilis[2], a Petra ad urbem difficilis longaque insuper[3] via est : quæ cum ita sint, non

1. Ἐν δήμῳ (XIII, 97), ἐπ' ἀγροῦ (XXIV, 308). — 2. XIV, 1. — 3. XVII, 25, 196, 204.

pluribus indiciis opus est ut, procul ab urbe nec eadem insulæ in parte, oras quæramus quas tetigere Ulysses et Telemachus, reditum suum dissimulare coacti, domumque ubi ultionem secreto paraverunt, quam neutiquam sperare licuisset, si quis eorum præsensisset consilium.

2. Ceterum nusquam prius in poemate verba lucidiora, neque in insula loci agnitu faciliores contigerunt : Telemachum, a Pylo profecturum, Pallas monet ut, vitatis insulis, navem ad oram proximam appellat, apud Eumæum dormiturus[1]; ab ora vero in quam appulit, actutum subulci domum juvenis petit[2]. Aliunde scimus extremam insulam[3] ab Eumæo habitari. Punctum ergo habemus ita lucide designatum quam si duo ibi sese a circino descriptæ lineæ intersecuissent.

Imo, reipsa, extrema in insula, versus Auroram et Elida, statio aliqua est ubi consistere navis potuit, priusquam, insulam et Neium circumnavigando, iter ad urbem pergeret; nec procul a littore, abrupta petra surgit, unde aqua stillat lenta, sed perennis, quam adhuc, ceteris insulæ fontibus, vel ipsa Μελανύδρῳ, puriorem, morbos mirum in modum sanare perhibent : quod testimonium majorem in se, quantulacumque sit, vim habet quam fortuita aut recentius ficta nominum similitudo.

Si quis, ab ora ubi de sua nave descendere Telemachus potuit, abruptas quoque rupes ascensu superaverit, locum editum, conspicuum, spatiosum[4] deveniet, ubi palis advectatisque lapidibus sibi *casam*[5] suibusque pulchram aulam duodecimque suilia Eumæus, sua ipsius opera suisque impensis, ædificaverat[6]. Quæ pascua ab incolis adhuc non negliguntur : cum vero glandes jam deficiant, Eumæi suum in vicem capræ successerunt, quæ herbam per pascua depas-

1. XV, 33, 36, 40. — 2. *Ibid*, 499, 555.— 3. Ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν (XXIV, 150. Cf. XVI, 330, 383, XVII, 25). — 4. XIV, 6-7. — 5. Κλισίη (XIV, 48). — 6. (XIV, 5, 7, 9, 13).

cunt infraque nigram salubremque Arethusæ bibunt aquam. Quis veram hanc esse Eumæi sedem, Corvique Petram et Arethusam[1] infitiabitur?

Inde, per dumeta, semitis asperis et angustissimis, hora integra non sufficit ut ad proximos portus descendatur; horis tribus opus est ut ad *Aeton*, quinque, ut ad *Polin* accedatur. Nihil tamen obstat, quæcumque sint Vœlkerii argumenta[2], quin longam illam et difficillimam aliquando viam, eadem die semel et iterum emensus, pastor etiam naviculam præcurrerit : etiamsi illi, quæ iter suum ter, ut videtur, variavit, id contigerit ut, quoties oporteret, toties variarent venti. Quam lente, nullo aut adverso spirante vento, remigibusque impulsa, iter faciat promontoriumque circumnaviget, ignorare aut oblivisci Vœlkerius videtur. Doctus interpres, libris et tabulæ intentus, intervalla metiri potest : quomodo vero audet computare quot horas ratis navigatura sit donec portum tangat!

3. Hujus in ripa meridiana sinus qui dividit insulam, tres patent, minime inter se distantes, portus, quorum medius ceteris vastior, novæ urbi nomen dedit (Βαθύ); non ita latus est, sed tutior, is qui ab alto remotissimus est : huc se recipiunt magnæ naves quas in urbis portum intrare procellosum mare non sinit; ubi anchora jacta est, jam nec mare, nec ventos nautæ metuunt. Quod refugium olim tutius etiam fuisse facile crediderim, utpote versus septentriones et altum melius defensum : scopulus enim[3] quem aliquæ tabulæ nostra explicatiores[4] in aditu describunt, nihil aliud quam promontorii orientalis partem esse constat, a quo fluctibus parum profundis sejungitur; ita, priusquam sejunctus fuisset, statio, in orbem figurata, adeo clausa erat ut nec ipsa anchora opus esset[5]. Sed abdita erat, parum nota, et illuc

1. XIII, 408-410. — 2. Lib. cit., s. 35. — 3. *Katzourbo*. — 4. V. Lechevalier. — 5. *Od*. XIII, 96 sqq.

proram dirigere solis propemodum Phæacibus, hujus maris peritissimis, in mentem venisse verisimile erat.

Excelsæ rupes quæ utrinque objectu laterum portum amplectuntur, Neritum spectant, quod cum solum se oculis et specie valde conspicuum offerat, nihil aliud inter fluctus et cœlum apparet. Meridiani contra montes, quia eos eminus cernimus, ne figuram quidem certam ostendunt. Septentrionalem ergo montem sine dubio Minervæ verba designant, Neritumque in inferiorem partem insulæ a quibusdam viatoribus et geographis male translatum est.

4. Post quartam horæ partem, altius, in speluncam devenitur, non ita mari vicinam, portus tamen in vertice (ἐπὶ κρατὸς λιμένος[1]) positam; nam ad eam a mari declivitas continua ducit. Foribus exiguis, quas lapide uno Pallas obstruere valuisset, aditus patet in vastum et obscurum specum[2], qui, si modo ablata essent rudera quibus solum impeditum est, frigus et umbras viatori præberet non inamabiles[3]. Unus aditus est, ad Neritum et *Aeton* versus; alterum vero, huic adversum, dehiscere crederes, qui in tenebris ex oculis se subducit. Tectum cameratum et parietes figurant lapideæ concretiones, subrubræ[4], quæ etiam ut vestes in sinus defluere et undare aliquando videntur; in solum fragmentis obductum stillant aquæ perennes[5].

Inde, si, altius et versus meridiem, per montem iter abruptum[6] sequimur, ad Eumæi pascua ægre, sed mora sine multa, pervenimus.

Suam locis formam, suos naturæ colores reddere in descriptionibus veteres præcipue studebant. Ceteris vero præstat ea de qua loquimur; nec Euripides, cum Delphicam vallem[7], nec Sophocles, cum suum Colonum, nec Herodotus cum campos ubi Græcia Asiam stravit, pingeret, nec Ho-

1. XIII, 102. — 2. *Ibid.*, 366, 370. — 3. Ἄντρον ἐπήρατον (*ibid.*, 103, 347). — 4. Φάρεα ἁλιπόρφυρα (*ibid.*, 108). — 5. Cf. Thiersch, *Morgenblatt*, 1832 (p. 966). — 6. XIV, 1-2. — 7. In *Ione*.

merus ipse usquam alibi subjecit oculis imaginem propiorem veritati. Suo jure poesis utitur, cum, specum ut exornet, crateras et amphoras ubi mella deponunt apes, jugaque longa in quibus pallia purpurea ipsæ texunt Nymphæ, θαῦμα ἰδέσθαι[1], fingit, aut per fores, hominibus invias, Deos exire memorat. Verum, etsi patula ramis oliva[2] periit, quis ea (si modo portum, speluncam adversumque montem vel semel vidit) non agnoscet quæ Ulyssi Minerva ostendit?

> Phorcynis quidem hic est portus, marini senis....
> Ecce autem spelunca umbrosa, ubi tu multas
> Sacrificabas Nymphis perfectas hecatombas :
> Hoc vero Neritum est, mons silva vestitus[3].

Imo, non est situs qui ex solertissimi pictoris opere facilius agnosci possit quam ille agnoscitur ex Homeri versibus. Nec invenuste dixit aliquis[4] eum tanta cum veritate descriptum esse, ut, etiamsi Ithaca, Vœlkerio jubente, suo de loco cessisset, nec modo Samen circumnavigasset, sed alia sibi maria, aliud cœlum quæsiisset, eam tamen, Homero duce, facillime agnoscendam esse, dummodo, inter Nympharum speluncam et Neritum vestitum silvis, Phorcynis portum non amisisset.

5. In hac tamen spelunca, Porphyrius[5] abstrusam, neque Alexandrina philosophia, neque ipso Platone indignam, doctrinam latere suspicatus est : quem si enim sua ipsius subtilitas non fefellisset, nulla est poetica aut philosophica allegoria, ne illud quidem Platonicæ Reipublicæ antrum, quæ cum Ithacensium Nympharum antro conferri posset, in quo, cum Porphyrio et mythographis, recentiores etiam interpretes maria, polos, corpora e limo nascentia, ipsasque animas, tum in terras descendentes, tum revertentes ad astra, videre non recusant[6].

1. *Od.*, XIII, 108. — 2. Τανύφυλλος (v. cit., 102, 346). — 3. XIII. 345, 349 sqq. — 4. Wordsworth, trad. franç., p. 280. — 5. Porph., *de Antro Nympharum*. — 6. Mme Dacier, notes sur *l'Odyssée*.

Multa certe in Homeri poematibus esse quæ pro fictis haberi deceat non negaverim : ipse enim nobis satis dixit quæ fabularum essent illecebræ; sæpiusque, ut sibimetipsi et auditoribus suis placeret, falsa veris immiscuit, aut etiam vera continuis translationibus, poetarum more, abdidit. Veris tamen multo propiora quam mythographis visum est, vel ea sunt quæ minus vera esse agnoscimus. Nec vero idem Homero placuit quod placet recentioris ætatis pictoribus et poetis : illi enim id ante omnia timent ne quis forte ea quæ finxerint (utpote veris nimis similia) minus ab ipsis inventa et creata quam de medio sumpta fuisse arbitretur; ideoque a vero discedere quam maxime conantur nullumque vinculum cerni sinunt quo fabula et cœlum cum terris et veritate connectantur. Homerus contra nihil pulchrius esse existimat quam quod verisimile, nihil verisimilius quam quod verum est. Idcirco, ut qui mentiuntur in Iliade et in Odyssea heroes et Dii[1], ita Homerus ipse, qui sibi vult credi, nihil fingit quod in se aliquam veritatem non habeat. Locorum vero figuram minus etiam quam hominum mores et res gestas adulterare potuit, quia, dum pereunt homines rerumque vel memoria exolescit, exstant loci, quibuscum descriptio componitur; facillimeque redarguitur si forte cura et diligentia caruit. Proinde, Homerum, vel cum fingeret, aliquid tamen pinxisse arbitrandum est, quod, poeticis tantummodo nudatum coloribus, videre et nos forsitan possumus; nedum eum, Porphyrii et mythographorum more, finxisse arbitremur id quod tantum, ut a natura oblatum erat, simpliciter et sine fuco, pinxit.

1. Vide præsertim Mercurii (*Il.*, XXIV, 396 sqq.), ipsiusque Ulyssis (*Od.*, XIII, 256 sqq., aut melius etiam XIX, 172 sqq.) mendacia.

Οὐδ' ὅγ' ἀληθέα εἶπε, πάλιν δ' ὅγε λάζετο μῦθον.
(XIII, 254.)

Ἴσκε, ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.
(XIX, 203.)

6. Id ex Scheriæ descriptione præsertim liquet, quam dubiis ipsis in finibus Homerus posuit ubi nostro orbi is alter adjacet misceturque aliquando mundus quem ex fabulis novimus. Inde vero eam extrahere multi voluerunt ut prorsus alterutri adscriberetur. Neque enim desunt viatores qui, Phæacum insulam non secus atque Ithacam se novisse arbitrati, cuncta agnoscant et designent, Nausicaes scilicet fluvium, lavacra, portus, Alcinoi hortos, deficientibusque vestigiis, situm saltem illius palatii quod argentei et aurei, vivi tamen, canes[1] custodiebant. Audaciores contra geographi qui, ut supra dictum est, Ithacam ab oriente ad occasum transferunt, *Hyperearn*[2] quoque, nominis causa, et Scheriam, Hypereæ coloniam, ultra terram quam incolimus, in fabulosas regiones mittunt : scilicet ut Platonis Atlantidem aut beatorum insulam a Pindaro memoratam et illa sequatur; imo ut in fallaces poeseos septentrionalis nebulas, Wœlkerio duce[3], evanescat, potiusquam se eamdem fateatur Corcyram esse quam descripsit Thucydides. Nos vero iterum, in medio positi, quæ Scheria homerica fuerit ex Homero paucis ostendamus.

Haud dubium est hanc tellurem in Odyssea nimia et incredibili quadam pulchritudine exornatam a poeta fuisse, quippe quæ hiemes infecundas nesciat. Nec Sidonis, cujus amicitiam Phæaces coluere, suffecissent opes et industria ut illas ædes conderent splendidissimas in quibus (vel si diviniora Vulcani opera omisero) ærei parietes cyano induebantur, argentei postes fores aureas sustinebant, aurei denique juvenes, lampadas in mœnibus tenentes, convivis totam per noctem lucem dabant[4]. Deorum immortalium ambrosiæ vix inviderent Alcinoi mensæ : Phæaces nempe ceteris

1. VII, 91-4. — 2. VI, 4. — 3. *Die Homerischen Phæaken und die Inseln der Seligen* (*Kleine Schriften*, 2er Theil, Bonn, 1845). — 4. *Od.* VII, 86-90, 100-102.

hominibus origine et moribus multum præstant, qui, Neptuno orti barbarisque Cyclopibus patre tanto digniores[1], soli hominum ab Homero non modo Jovis alumni (διιτρεφεῖς[2]) heroesque immortalibus pares (θεοῖς ἐναλίγκιοι[3]), sed Deorum affines, ἀγχίθεοι[4], appellantur. Quapropter mari undique a ceteris populis sejuncti[5], quorum amicitiam et commercium dedignantur, terrestrium miseriarum communiumque vitiorum pæne expertes sunt. Si quis vero, procellis actus, ad oras eorum appellit, excipitur is a Jove missus hospes, donis cumulatur, et in patriam suam, vel invito Neptuno, remittitur, etiamsi longinquissima sit[6]. A patre enim navigandi artem edocti, naves divinas habent quibus nec ventis nec gubernaculis opus est : sed ipsæ sciunt quo pergere debeant, marisque voraginem tranant celerrime, caligine et nebula, haud secus atque ipsi Dii, obtectæ[7]. Nihil ergo impedit quin, ipsa cogitatione velociores[8], Eubœam petant eademque die Scheriam revertantur[9].

Inde tamen illud inferre non velim Scheriam nusquam in terris exstitisse, quæ, terrarum extrema[10], vera tamen terra est, cujus iter et nomen ex omni antiquitate Græci optime noverunt. Nec solum Ulyssem, heroicis in temporibus, excepit, neque a poetis tantummodo celebrata est, quippe Apollonio, Virgilio, Ovidio Corcyræi ipsi assentiebant, nec Corcyræorum opinionem Thucydides impugnavit[11].

Urbem in insula quærere supervacaneum : palatium enim in auras, ut somnium, evanuisse credere est; mœnia funditus periere; situsque ex duplici portus figura[12], fluvii propinquitate Alcinoique hortis agnosci tantummodo posset :

1. *Ibid.*, 205, XIII, 130. — 2. VII, 5. — 3. V, 378. — 4. V, 35 (Cf. *Hymn. ad Ven.* 201). — 5. VI, 279. — 6. VIII, 32; VII, 321. — 7. VIII, 557-563. — 8. Ὠκεῖαι ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα (VII, 36). — 9. Ἄτερ καμάτοιο (VII, 325.) — 10. Ἔσχατοι (VI, 205). — 11. Thucyd., I, 25. Et apud Strab. (l. VI, p. 269) legimus : Τὴν νῦν Κέρκυραν καλουμένην, πρότερον δὲ Σχερίαν. — 12. *Od.*, VI, 263 sqq.

fluvius vero, duplexque portus, imo navis in scopulum conversa[1] tribus in locis, Alcinoique hortus ubique in insula ab incolis ostentantur.

Quæ vero insula ipsa sit, non modo ex plurimis scriptorum testimoniis, sed ex ipsa insula scimus, quæ tempestatum quidem conversionem non effugit, ceterum fecunda, amabilis[2], advenarumque hospes benevolentissima, qualis denique ab Homero celebrata fuit, talem se nobis obtulit. Et ubi jaceret in mari audieramus : procul ab hominibus, quia ultra Leucada terræ non minus quam mare a Græcis ignorantur, ex vicino tamen continenti, ἠπείρῳ, servos emit[3], uniusque noctis itinere distat ab Ithaca, tenebris, sicut Thesprotia[4], propior.

Imo Scheriæ historiam et fabulas Homerus obiter præstringit[5], satis ut plane appareat eum nec de ficta insula nec de gente sibi ignota locutum esse. Quin etiam, ubi poetæ verbis propius instamus, jam non adeo ceteros homines superare videtur illa Neptuni divinior proles : timet Minerva ne ab iis hospes male habeatur[6]; monet Ulyssem Alcinous ut acceptas divitias arcæ sedulo occlusæ committat[7]. Qui Phæacum choreas stupet[8], nec cum iis cursu certare auderet, idem Ulysses eos facile vinceret armis; pariter et Spartæ regiæ ædes solis splendorem æquiparant[9]; ipsaque Ithaca Phemium Demodoco, Alcinoi mensis et horto procorum convivia et hortum Laertis opponere propemodum auderet. Vel hanc quæ naves divinas velat nebulam diducere libet :

1. XIII, 163. — 2. Ἐρίβωλος (V, 34), ἐρατεινή (VII, 79). — 3. VII, 8-9.

4. Cf. inter se XIX, 279 et *Ibid.* 271, 287 sqq, XIV, 315-335, XVI, 65, ubi Ulysses, ut quam verisimillime mentiatur, de Thesprotia mentiendo memorat quæcumque de Scheria vera sunt.

5. Vide præsertim, VIII, 569; XIII, 152, 158, 177, 183, ubi de monte novo agitur quem Neptunus urbi obducet, aut VIII, 111-119, ubi Phæacum principes ad septem et decem nominatim enumerantur.

6. VI, init. — 7. VIII, 443-5. — 8. Σέβας μ' ἔχει (VIII, 384.) — 9. Cf. inter se IV, 45, et VII, 84.

gubernaculum qui quæri vetat, ipse Homerus nobis duo et quinquagiuta longis remis incumbentes nautas [1] monstravit.

7. Ita semper poeticis sub fabulis aliquid veri latet. Nec Scheriam modo, sed, vel ultra Scyllam et Charybdin, regiones Alcinoo ab Ulysse descriptas Strabo quærit. Olympus ipse non semper, ut posterioris ætatis non modo philosophis et sacerdotibus, sed ipsis poetis placuit, oculorum obtutum supra nubes effugit; cujus plurima cacumina, excelsa, vasta, splendida, obtecta nivibus [2], in Thessalia agnoscuntur. Pariter, Manium sedes terrarum ad extremos fines [3] aut in visceribus [4], ubi noctis ingruunt tenebræ [5], viatoribus non inaccessas esse constat, quas et nobis, non in obscuris mythographorum disputationibus, sed in Græcia passim, tum in Epiri montibus [6], tum in obscuris Cimmeriorum antris, aut in ipsius Arcadiæ amœnis vallibus, ubi, celsa de rupe, stillat inamabilis et lethifera Stygis unda [7].

Nympharum quoque specum in metaphysicæ nebulis quærere non operæ pretium erat, quam Porphyrius his in terris ut nos invenire potuisset. Non abdita rerum retegere, sed suo pictoris munere fungi [8], ut optime notatum est, Homero tantum curæ erat, itaque verissimam, quamvis non omni ornamento, ut supra dixi, destitutam, hanc imaginem expressit.

1. VIII, 35. Cf. φιλήρετμοι (XIII, 36), δολιχήρετμοι (VIII, 369).

2. Pass. præsertim in *Iliade*, ἀγάννιφος (*Il.* I, 420, XVIII, 186), νιφόεις (XVIII, 616). — 3. Νείατα πείρατα γαίης (*Il.* VIII, 478). — 4. Ὑπὸ κεύθεσι γαίης (*Il.* XXII, 482), βέρεθρον χθονός (VIII, 14). — 5. Cf. C. I.s. 3. — 6. Quo Leucas ducit (*Od.* XXIV, init.). — 7. Στυγὸς αἰπὰ ῥέεθρα (*Il.* VIII, 369), sive ὕδωρ ἀάατον (XIV, 271), κατειβόμενον (*Od.* V, 185).

8. « Je suis très-persuadée qu'il y aura bien des gens qui diront que jamais Homère n'a pensé de si grandes merveilles et qu'*il n'a fait ici que son métier de peintre* » (Mme Dacier.)

CONCLUSIO.

Infirmatis Vœlkerii omnino, Gellii quoque partim argumentis, admissa vero, sed illustrata et explicata Leakii conjectura, spero me Ithacæ insulæ suum in mari, suum itidem in insula locum Ulysseæ urbi, portubus, Nerito et Neio montibus, Nympharum speluncæ, Eumæique stationi, omnibus scilicet locis ab Homero non modo memoratis, sed descriptis, restituisse.

Nec, ut hodiernam insulæ conditionem cum Homeri descriptione, vel in minimis aliquando, conferrem, aliis mihi indiciis opus fuit quam ipsa locorum figura ipsiusque Homeri verbis : tanta inerat imagini a poeta expressæ veritas !

Hic vero non eadem a geographis descriptio reprehendetur quæ poetis et pictoribus placuerit. Verumenimvero, ubi loci se non quales se habent, tales se præbent oculis, Homerus id potius quam videtur quam id quod est, pictorum more, adumbrat; ejusque ideo Geographiam haud secus atque Cosmographiam suspectam esse vidimus, quia oculos aliquando fallit loci cujusque vera figura, nedum percipi possit quo modo inter se cohæreant loci qui non eodem aspectu comprehenduntur. Cum vero de simplici et parva regione, ut Ithaca erat, ageretur, unum et idem fit species et veritas; ut sunt loci, ita videntur; nec minus valet pictoris quam geographi testimonium. Neminem vero melius Homero locos, quales eos vidit, ergo quales semper videntur,

pinxisse jam satis constat; quod sine dubio et nos pro virili parte confirmaverimus.

Homerum ergo ducem viatores ipsique geographi sequi tutissime possunt, dummodo iis in mentem inconsiderate non venerit Iliade et Odyssea geometricæ tabulæ vice uti, quæ locorum nihil aliud ostendunt quam imagines; sed eas religiosæ expressas proximasque veritati. Idcirco Straboni, nostræque ætatis clarissimis viatoribus[1], eum sibi comitem itineris eligere præ omnibus placuit. Me quoque, non modo Ithacæ, aut in agro Trojano, sed Græciam per omnem, Homeri vestigiis institisse profiteor, nec ullum, vel ex veteribus, poetam aut historicum esse, cujus, ut ita dicam, auspiciis me libentius commiserim.

Sane, ubicumque recentioris historiæ abundant monumenta, Herodoto et Thucydidi Homerus cedit; sæpius celebratur in Cephisi ripis Sophoclis Platonisque nomen, obversaturque in sanctis Athenarum ruinis Phidiæ memoria. Si vero Græciæ ipsam naturam contemplamur, mentem subeunt simul versus quibus eam Homerus, ipsis Herodoto et Sophocle melius, depinxit. Quinetiam si mores populi inspicimus, miramur quod post tot secula Græciæ non minus incolæ quam ipsa natura sibi constiterint, eo præsertim tempore quo, ante recuperatam libertatem, feliciorum temporum pristinæque gloriæ pæne immemores, longæ servitutis labores et opprobria Græcos ad simpliciorem cultum revocaverunt, et ad eos mores quos ex Iliade et Odyssea noveramus.

Ita non omnino se novam et ignotam eorum oculis Græcia hæc nostra se offert qui Homeri lectioni assueverant; fa-

1. Inter quos hic memorandi præsertim videntur Wood, Gell, Choiseul Chateaubriand et Ampère (*la Poésie grecque en Grèce*, 1843); quem, ut nos, Homericæ poeseos illecebræ eo adduxere ut, professus se dicturum indistincte quid Græcia eum de antiquioribus suis poetis docuerit, pergendo non senserit se de Homero pæne solo loqui.

ciliusque ea quæ vident intelligunt, quippe ea e longinquo prospexerant et quodammodo agnoscere ipsi arbitrantur. Rursus vero Græcia Homericam poesin illustrat; nec minus nobis ut Homerum interpretemur Græciam invisisse proderit quam Homerum perlegisse profuit cum Græciam lustraremus. Quidquid enim occurrit in itinere, nobis ostendit eo præsertim in arte sua Homerum excelluisse quod, acceptis ab ipsa natura coloribus, ejus quam novit Græciæ effigiem expressit verissimam. Unde facile apparet illos ab Homero pariter discedere et interpretes qui ejus poemata subtilius explanant aut liberius vertunt, et imitatores qui, neglecta jam Horatii auctoritate, verbo curant verbum reddere. Liquet enim parum homericum fore si quis homericorum poematum pannos versibus suis assuerit, cum eum Homerus contra monuerit ut patriam ætatemque suam viva imagine effingeret nedum alienas fabulas obsoletiori sermone transcriberet. Si qui vero se Iliada et Odysseam de græco in nostrum sermonem conversurum pollicitus fuerit, ne minimum quidem verbum præterire vel adulterare debet, etiamsi omnino futilis, aut venustate destitutus, aut etiam obscurior locus videatur. Nec enim id propositum est ut ea Græciæ vetustissimæ imago, falsis coloribus illita, nostros ad mores accommodetur, sed ut religiose restituta nos aperte vereque doceat et quale fuerit ipsius pictoris ingenium, et qualis ea natura, quales ii hominum mores quos verissime describere ante omnia Homerus studuit : quippe nihil pulchrius fingi posse confidisset quam quod aut verum aut vero proximum est. Omne igitur verbum a nostris interpretibus neglectum aut contemptum, suum tamen pretium habet, sive homericam Græciam, sive homericam poesin plane novisse velimus. Quod nos saltem oblivisci non possumus qui Græciam ab Homero, Homerumque a Græcia didicimus.

EXCURSUS.

A. DE TELEMACHI ITINERE.

Parum liquet cur de Telemachi itinere certare non desierint quicumque Græciam adeunt, cum hunc nodum Homerus ita proposuerit ut plane indissolubilis sit? Semita per montes monstrari poterit quæ non adeo longa sit, nec equis et curribus impervia[1] : eam vero Ulyssis et Nestoris filios secutos esse quis probabit, cum de eorum itinere nihil ab ipso poeta dictum fuerit?

De ipsa Pylo ita locutus est ut adhuc male certum sit qua in Peloponnesi parte Nestor regnaverit; tribusque simul urbibus licuit sibi laudes ab Homero datas vindicare, quippe quæ pariter se arenosas[2], excelsas[3], firmiter structas[4], sacras præsertim esse dictitarent.

Quanto magis argumenta desunt ut recognoscatur ea, ne firmiter quidem structa, urbs quam incolit Diocles, Alphei nepos : bis ejus nomen in Odyssea memoratur[5], nomini vero ne unum quidem verbum additum est.

Nec melius ex Homero viam novimus qua primum Pheræ, deinde Sparta petitur. Scimus Pheras prima die, Spartamque die insequenti juvenes pervenisse; sed ne conjici quidem potest utrum per valles iter fecerint, transierint vitaverintque montes, an mare rursus viderint quod Pherarum mœnia allueret.

1. Cf. Leake, Puillon de Boblaye, peculiariter Mure, *A tour trough Greece*, t. I.—2. *Il.* II, 77. *Od.* I, 93 et pass.—3. *Od.* III, 485. XV, 193.—4. *Od.* III, 4. — 5. *Od.* III, 488, XV, 186.

Cum vero, occidente iterum sole, iter illud, quodcumque est, confectum fuit, tum indicia occurrunt minus incerta : locum Homerus novit et pingit. Apparet in valle cava, cavernosa[1], in campo lato, frugifero[2], ubi florent lotus, cyperum, triticum, far et album hordeum[3], Lacedæmon divina[4], vasta[5], amœna[6], nec secus atque Argos, Junoni grata[7], formosarumque mulierum[8] et equorum[9], ut Phthia, parens insignis. Juvat etiam poetam hac in urbe regalem domum verbose describere, utpote magnam, excelsam[10], opulentam[11], superis haud indignam[12], sonantem ære, fulgentem argento, auro et ebore[13]. Ibi demum cum Strabone locum ab Homero descriptum agnoscere possumus : quomodo vero agnosci possent urbs et iter quæ describere poeta ipse neglexit?

B. AGER TROJANUS EX HOMERO DESCRIBITUR.

(Cf. Spohn, l. l. p. 10 sq.)

Urbe magna[14] pulchra[15], bene condita et habitata[16], pulchris et latis viis distincta[17] altior exsurgit arx[18], inaccessis et præruptis superstructa rupibus[19], ventis agitata[20], cujus mœnia Deorum templa principumque domos[21] defendunt. Inde clivus et urbis pars inferior sensim versus mare, usque ad planitiem descendit; ita ut campo et pugnæ Scæa porta fagusque

1. κοίλη, κητώεσσα. (*Od.* IV, 1.) — 2. πεδίον εὐρύ, (*ibid.* IV, 603.), πυρηφόρον, (III, 495.) — 3. IV, 603-4. — 4. III, 326, IV, 313, XIII, 440, XVII, 121. — 5. εὐρείη, (XI, 460); εὐρύχορος, (XIII, 414, XV, 1). — 6. ἐρατεινή, (*Il.* III, 239, 244). — 7. *Il.* IV, 52. — 8. *Od.* XIII, 412. — 9. De equis Menelai, vide *Il.* XXIII, 293. Ceterum, *Od.* IV, 590, 601 sqq. — 10. *Od.* IV, 15, 304. — 11. *Ibid.* 96. — 12. Θεῖος, (IV, 43.) — 13. IV, 45, 72-3. — 14. ἄστυ μέγα, (*Il.* II, 332, 803 et pass. Itidem, *Od.* III, 107.) — 15. Ἐρατεινή (*Il.*, V, 210.) — 16. Εὐκτιμένη, εὔδμητος, εὐναιομένη, pass. — 17. Εὐρυάγυια (in *Il.*, pass., et in *Od.*, IV, 246; XXII, 230). — 18. Πέργαμος, ἀκρόπολις, (*Od.*, VIII, 494, 504), πόλις ἄκρη, pass.; ἀκροτάτη, (*Il.*, XX, 52 ; XXII, 172). — 19. Quod ex *Od.*, VIII, 504 sqq. liquet. — 20. Ἠνεμόεσσα, pass. — 21. *Il.*, pass.

non jam immineant, urbsque contra, ceteris ex partibus adversus hostium aggressiones, non propugnaculis modo, sed ipsa natura satis munita, ibi, prope Caprificum, mœnibus tantummodo suis, excelsa turre et Hectoris virtute defendatur[1]. Quid vero obstat quin ea urbs simul ventis agitata, edito in clivo, alibi tamen in planitie condita dicatur[2]?

Prope urbis portam, duo scaturiunt fontes[3], unde satis abunde aquæ fluunt ut fluvius continuo fiat, et is insignis, sacer[4], ipso Jove ortus[5]. Nec alius est, Homero teste, vel fluvius vel collis, qui cum eo de præcipuis honoribus in omni regione contendat. Quod si enim ad antiquiorum populorum mores respexeris, facile id conjicies Ili Dardanios, cum, desertis montium pascuis[6], ad agrum fertiliorem portumque commercio magis idoneum descenderent, hunc sibi elegisse situm qui, non procul a mari, novæ coloniæ simul arcem tutissimam fontemque largissimum obtulerat, Pergami scilicet prærupta saxa, Scamandrique tum calidas et frigidas aquas[7], tum ripas amœnas[8], floribus, herbis[9] et arboribus virentes[10].

Scimus etiam illum fluvium, per se nobilissimum, antequam in mare vicinum fluat, arenosum in alveum alterius fluvii undas admittere[11], qui, quamvis ab ipso monte decurrat longiusque perfecerit iter, omnem tamen superbiam abjicit, suumque sibi nomen eripi non indignatur. Unde verisimile est Simoentem, terribiliorem aliquando[12] (cum præsertim seu Gargari nivibus, seu imbribus procellosis accrevit), rariores tamen plerumque minusque puras undas miscere cum undis fluvii indigenæ, qui major idcirco faustiorque Deus ab incolis[13] non immerito habetur[14].

1. *Il.*, VI, 433 et alias. — 2. Spohn., p. 27. — 3. *Il.*, XXII, 144, sqq. — 4. XXI, 380. — 5. XIV, 434 et pass. — 6. XX, 216. — 7. XXII, 146 sqq. — 8. XXI, 218. — 9. II, 467 ; XXI, 350, 602. — 10. XXI, 18, 350. — 11. V, 774 ; XXI, 308, sqq. — 12. Cf. XXI, 305, sqq. — 13. XXI, 131. — 14. Cf. Choiseul, c. XIV.

Ab urbe ad Græcorum castra Scamander defluit, quem in Iliade transmitti nonnunquam videmus[1]. Non longe a vado[2] tumulus surgit, imposita notabilior columna[3] (sepulcrum scilicet[4] Ilo, recentioris Ilii conditori, a Trojanis erectum)[5], qui, ut liquet ex pluribus Iliadis locis, ceteris tumulis illustrior, proeminebat in planitie, et undique conspicuus erat.

Maris denique in littore, Græcorum patent castra, sive navium statio, quod ad Strabonis ætatem nomen pervenerat[6]. Sinus agnosci non potest, quippe limo et arenis quas fluvius provolvebat obstructus est; idque ab ipso poeta didicimus Græcorum castra non secus ac victam urbem evanuisse[7]; sed ubi fuerint navigantes e longinquo Æacidum tumuli docent[8].

Sinamus modo cetera sub judice pendere, de quibus disputari licet: ea saltem Trojani agri imago, Spohnio ipso propemodum assentiente, adumbrari facile potest.

C. DE DULICHIO.

Liceat mihi Dulichium, insulam ceteris apud geographos mobiliorem et vere erraticam, passim vel in mari[9], vel sub mari etiam[10] non quærere.

Equidem Strabonem sequi non dubitavi, qui eam ad Acheloi ostia sitam fuisse arbitratus est[11]. Ibi enim verisimile est jacere insulam quæ nunc, cum Echinadibus, a Megete regitur[12], nunc, Ulyssi subdita, suos in Penelopes ædibus, veluti Same et Zacynthus[13], procos habet. Nec repugnat Stra-

1. *Il.*, XXIV, 350, 692. — 2. *Ibid*, 349. — 3. XI, 371. — 4. Τύμβος, *ibid.*; σῆμα, pass. — 5. *Ibid* et X, 415; XI, 166.

6. Ναύσταθμος (L. XIII, p. 598). — 7. *Il.*, XII, 9 sqq. — 8. *Od.*, XXIV, 80-4.

9. Cf. Forbiger, s. v., et notulam quam recentius doctissimus rerum Corcyræarum scriptor Mustoxides in *Anthologia Ionica* edidit — 10. Cf. Vœlker, s. 33. — 11. L. X, 3. — 12. *Il.*, II, 625-6. — 13. *Od.*, I, 246; XVI, 123.

bonis opinio cum his Homeri verbis, Ἤλιδος ἄντα [1], nec cum Ulyssis narratione qui se fingit appulisse Ithacam cum e Thesprotia Dulichium peteret [2].

Objicitur Strabonis *Dolicham* nihil esse nisi exiguum et sterile saxum, dum Dulichium, ceteris Cephallensium insulis opulentius, plures Trojam in Iliade [3] naves, plures Ithacam procos in Odyssea [4] mittit, imo herbosa [5], tritici ferax non semel [6] ab Homero dicitur. Quid vero ibi adeo obscurum videtur, si, quemadmodum Ithacæ Acarnaniæ littora, ἤπειρος et ἀντιπέραια, sic parvæ illi et infecundæ insulæ, navibus jam pollenti, parent vicina eademque felicissima Acheloi arva et pascua. Ita πολύπυρον, ποιῆεν, ipsum Dulichium dici potest.

Et hodie Hydreæ horti, Calauriæ beata nemora, citrea et aurea mala, sæpius a viatoribus memorantur, quamvis utraque insula sterilis et saxosa admodum sit : hortos vero et nemora sua in vicinis Argolidos littoribus possident.

1. *Il.*, II, 626. — 2. *Od.*, XIV, 335, 397; XIX, 292. — 3. *Il.*, II, 630. — 4. *Od.*, XVI, 247. — 5. *Ibid.*, et 396. — 6. *Ibid.* et XIV, 335; XIX, 292.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VI id. octobr. ann. MDCCCLIV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.


J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur;

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

B


Rheithron
Polis Pt
Dascalio
Neritum
Vathy
Arethusa
Same
Chelia